DE

EPHRAEMI SYRI

ARTE HERMENEUTICA

LIBER.

SCRIPSIT

CAESAR A LENGERKE,

PHIL. DR. ET S. S. THEOL. LIC.

REGIMONTII PRUSSORUM,

IMPENSIS J. H. BON.

cIɔIɔcccxxxi.

IMPRESSIT CONRADUS PASCHKE,
REGIMONTII.



PETRO A BOHLEN,

PHILOS. DOCT. ET LING. ORIENT. PROF. ORD.
SOCIETATIS ASIATIC. LOND. SODALI ETC.

AMICO INTEGERRIMO

DEDICAVIT EDITOR.

PRAEFATIO.

Fuit quidem, Lectores, quum ante hos duos annos et sex menses Commentationem meam de ratione critica textus biblici in Ephraemi Commentariis obvii persolvissem, meum consilium, quam primum id fieri posset, secundam operis partem, qua de arte Ephraemi hermeneutica esset disputatio, exponere vobis: quam vero spem cogitationum et consiliorum meorum dies in diem fefellit. Tandem vero mihi cupienti atque exoptanti contigit, ut fructus otii datus esset ad eam rem, quam mihi proposui, accuratius persequendam. Ephraemi igitur Commentariis denuo diligenter perlectis et Homiliis, in quibus principia sua multo apertius, quam in scriptis exegeticis,

saepe declarat, studiose perquisitis, tandem eo animum converti, ut interpretis nostri imaginem, quantum pro operis difficultate et virium mearum infirmitate licebat, summa fide ac polite simul vobis adumbrarem vividisque coloribus exprimerem. Volui id quidem efficere certe et capio magnum fructum, scilicet si quod volui, tanta in re consecutus sim. Sed nimirum difficile fuisse hoc, plurimisque difficultatibus impeditum, prudentes non fugit; quoniam ea via, quam ingredi conabar, perpauca tantum virorum doctorum vestigia erant impressa et lubricissimis quidem in locis, aliorum auctoritate ac consilio, quo labor poterat aliquanto sublevari, plane relictum me cognovi. Namque ea, quae Gaabius, eo loco, quem infra indicabo, de nostra re proposuit, perpauca nulliusque sunt momenti; atque illud Ernestii, de Ephraemi interpretatione placitum, praeclare quidem more ejus expositum, nihil nisi locorum messianorum, qui dicuntur, explicationem brevem complectitur. Quare vos, qui judices sedetis, me

non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate ad hanc quasi novam quaestionem investigandam accessisse, memineritis, ac de hoc in me suscepto arduo opere benigna feratis judicia, iterum iterumque rogatos volo.

De ipsius disputationis ordine ac ratione nihil habeo, quod hic exponam; quum argumenti notationes ipsi operi sint praemissae, quibus ea via, quam institui, satis dilucide est demonstrata. Nec consideratum est, ne ea, quae suis locis copiose apteque sunt explicata, praepostere hic praerepta videantur, de interpretis nostri ratione atque indole multis jam praefari; perdignam autem fuisse Ephraemi interpretandi rationem, quae accuratissime perquireretur, quapropter magnum quoque librum desideravit, ipsa nostra rei tractatio declarabit; hoc unum tantum hic monuerim, primum omnium quicunque S. S. interpretationes scripserunt, fuisse nostrum, qui inter allegoricam et inter verbalem interpretandi consuetu-

dinem, mediam quandam viam incederet constanterque persequeretur, atque eum, qui interpretes inter Graecos antecessissent, quod ad historicam et grammaticam attinet interpretandi rationem, longissime antecelluisse omnes.

Praeterea alia quaedam sciri volo, quae paucis nunc complectar. Propter typorum enim syriacorum penuriam, quum ii, qui in promtu essent, numero quidem paucissimi, monstrosam profecto formam ostenderent atque alii novi, istius quidem, cui asportandi eos cura commissa fuerat, incuria, per annum frustra usque exspectarentur, tandem hebraeis uti me coactum vidi. Omnia autem, — exceptis quidem his, quod haud raro, nescio quo infortunio, litera ש posita est pro ס, Syrorum Semcath congrua, sive quaedam puncta vocalia alias interciderunt, aliasve a librario cum spuriis sunt commutata, sive alii nonnulli errores sunt commissi, qui a quovi rei gnaro facillime emendari possunt — omnia igitur, si ista exceperis,

ita plane sunt transcripta et cognata hac literarum forma ita accuratissime, si quid video, servata, ut, qui in legendis iis experientiam quandam sibi comparaverit, nusquam anxie haesitet. Deinde species et forma ejus, quem adumbravi, ut perfectior esset et expressior, simulque ea, quae exposui, magis vobis probarentur, putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studiosis, magna exemplorum uti copia, in quibus paene ad verbum necesse habui reddere, ac verba quasi me annumerare lectori existimavi oportere, quoniam ii, qui in Ephraemi Operibus, Romae editis, partes interpretum susceperant, sententiis iisdem dumtaxat converterunt neque ordinem omnium verborum vimque servarunt. Hic labor meus hoc assequetur, ut, qui Ephraemum ipsum loquentem audiverint, multo accuratius eum cognitum habuisse confiteantur. Ceterum vestrae voluntati largitos esse videmur, quod non solum ea verba, in Ephraemi scriptis occurrentia, quae in Lexicis nondum sunt consignata, verum etiam ea, quae paullo obscuriora

sunt et apud Castellum exemplis nuda, itemque ea, quibus suspicio oriri possit, num recte a nobis sint translata, ipsi interpretationi adnotavimus; quorum generum voces omnes, in tabulam quandam secundum literarum ordinem dispositas, ad calcem libri imprimendas curavimus.

Ad extremum vero hoc quammaxime dolendum est, quod vel librariorum negligentia, vel ipsa mea incuria obstitit, quominus et menda plurima et quosdam orationis naevos tollerem, qui in nitido chartae corpore apparent vel invito. Utriusque generis, quae sunt graviora, quibusque celeri auxilio opus est, ne meae inscitiae imputentur, absoluto opere medebor.

Scripsi Regimontii Calendis Augusti.

ARGUMENTI NOTATIONES.

CAP. I.

Quaeritur de fontibus ac praesidiis ab Ephraemo ad interpretandam S. S. adhibitis deque praeceptis quae S. S. interpreti demandarit.

CAP. II.

Inquiritur in artis hermeneuticae maxime inter Aramaeos et scholarum christianarum, quibus Mesopotamia florebat circa Ephraemi tempora conditionem.

CAP. III.

Ephraemi Syri de S. S. attributis placita ejusque explanandi ratio et principia in universo exponuntur.

CAP. IV.

Ephraemi interpretandi ratio singulis exponitur et probatur.

DE

EPHRAEMI SYRI

ARTE HERMENEUTICA

LIBER.

CAP. I.

Quaeritur de fontibus ac praesidiis ab Ephraemo ad interpretandam scripturam sacram adhibitis deque praeceptis quae S. S. interpreti demandarit.

1. Priusquam Ephraemi interpretis formam atque speciem, ut eam contemplor animoque teneo, ita vobis informare et exprimere conor, principio necessarium videtur, de fontibus ac praesidiis librorumque apparatu quibus ad interpretis munus instructus et paratus ille exstitit, quae mihi nota sunt breviter ante exponere vobis; ad illud veroves-

tram memoriam simul revocaturus, quod jam in Commentationis meae criticae principio *) de Ephraemi eruditione summatim est adumbratum. Hoc tamen nostrae disputationis genus non longam orationem desiderat, quum de iis rebus quae ad illud referuntur et in eo tractari solent, difficile est plus intelligere, quam quantum ex rarissimis iisque saepius subobscuris, quae in Ephraemi scriptis inveniuntur, indiciis suspicari et conjectura augurari licet. His vero *explicatis* deinceps etiam illud, quod de regulis ac praeceptis librorum sacrorum interpreti ideoque sibi quoque ipsi, noster posuerit, brevi comprehendere, non alienum puto. Ac primum illud, ut ita nobis patefaciamus ejus rei ipsum aditum, quam principio quaerimus, memoratu dignum est, Ephraemum fere omnibus, qui in veteris ac novi [1]) Testamenti numero

---

*) Commentatio critica de Ephraemo Syro S. S. Interprete. (Halis Saxon. MDCCCXXVIII.) p. 1—8.

1) In Ephraemi tam graecis quam syriacis scriptis haud mediocre exstare adjumentum ad Criticam Novi Testamenti, testis est Wettstenius in Prolegg. ad N. T. ed. Semler

continentur, libris usum fuisse, adeoque ipsa apocrypha, sic enim loquuntur, scripta adhibuisse [2]). Etenim librorum qui inscripti sunt et appellantur Judithae, Sapientiae, Tobiae, Siracidis, Baruchii frequens fit memoria atque adeo primum et secundum [3])

Tom. I. p. 186. „*Ex his operibus* — sic enim ait — *non parvae accessiones restant ad variantium utilium collectionem.*"

2) Ephraemum etiam N. T. libros omnes explanatione sua donasse, ex iis colligi debet quae Gregorius Nyssenus in Encomio (v. Ephr. opp. gr. ed. Rom. I. p. VII.) de eo disserit hujusmodi: *παλαιάν τε καὶ καινὴν ἐκμελετήσας γραφὴν — — ὅλην ἀκριβῶς πρὸς λέξιν ἡρμήνευσεν, ἀπό τε τῆς κοσμογενείας καὶ μέχρι τῆς τελευταίας τῆς χάριτος βίβλȣ.* Evangeliorum expositiones se vidisse easque adhibuisse testantur Dionysius Bar Salibi (+ 1192 p. Ch.) et Barhebraeus. v. Comment. meam critic. p. 3. ann. 10. p. 11. ann. 32. Commentarios Ephraemi in Matthaeum et Lucam laudat Corderius in Catenis in Matth. et Marc., multa vero fragmenta graece exstant in Bibliothecis Vatic. — vid. Eph. Opp. syr. I. Praef. ad Lectorem praemissam p. 1.

3) Opp. syr. II. 308. cf. p. 230. III. 285. Opp. gr. II. 401; revolvas sis Assemani B. O. I. 144. III. 1. p. 4. ann. 5. — p. 7. ann. 4. — Ex eo vero, quod Maccabaeorum libris usus fuerit Ephraemus, non statim evincitur, canonicam eum tribuisse iis auctoritatem, quemadmodum sumserunt Assemani ll. ll. et Petrus Benedictus in Praef. ad Opp. syr. T. II. p. XV.

librum Maccabaeorum sibi accommodavit. Neque minus certum est atque exploratum, Epistolam secundam [4]) et tertiam [5]) Joannis alteramque Petri epistolam [6]) et Judæ literas [7]) itidemque Apocalypsin [8]), quae quidem in Canonem Syrorum non erant recepta neque in antiquis Codicibus primisque interpretationis simplicis editionibus inveniuntur [9]), ei in promtu fuisse atque

---

4) Coll. Opp. gr. III. p. 52.

5) 3. Jo. v. 4. Opp. gr. I. p. 76. Satis apertum est, errasse Hugium in libro quem inscripsit: Einleitung in's N. T. ed. 3. T. I. p. 358, quum istum locum ad alteram Joannis epistolam pertinere censet. Alias nimirum (T. II. p. 506) tertiam quoque Joannis epistolam iis scriptis accenset, quae jam ab initio ad Versionem simplicem, male quidem, uti mox videbimus, pertinuisse putat.

6) Opp. gr. I. 19. 81. 153. 161. II. 161. 181. 387. III. 40. 60. 154. 191. Opp. syr. II. 242.

7) Opp. gr. III. 61—63. II. 153. 161.

8) Licet locorum ex Ephraemi scriptis collectorum silvam comparatam videre in Schmidii libro: Ob die Offenbarung ein göttliches Buch sei. (Leipz. 1771.) p. 338 ff. Assem. B. O. I. 141. 7.

9) Assem. B. O. ad Ebedjesu Cat. libb. III. 1. p. 8. 9. annot. 1. p. 15.

illud quasi jure tuo mireris, quod illa canonicis scriptis haud cunctanter adscripsit [10]). Namque epistolarum illarum quae Joannis nomen ferunt auctorem dicit Ἰωάννην τὸν θεολόγον (Opp. gr. III. 52.) et alteram Petri epistolam attribuit Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν Ἀποστόλων (ib. II. 387) sive τῷ μακαρίῳ τῶν Ἀποστόλων Πέτρῳ (ib. III. 60) similiterque epistolae, quae Judae est, scriptorem habet Ἰησᾶ Χριστᾶ μαθητήν (ib. III. 61) [11]); denique vero Apocalypseos inventorem alias omnino *unum ex sanctis* (ib. II. 248), alias autem τὸν Ἀπόστολον (ib. 194), sive τὸν θεολόγον (ib. III. 146) appellat. Quodsi ita est, statuere omnino non dubitamus, scripta illa canonica eum habuisse iisque originem vere apostolicam tribuisse. Ex quo tamen nullo pacto sequitur, libros, quos ante dixi,

---

10) Hug. l. l. T. I. p. 356. 358. Guericke: Beiträge zur historisch-krit. Einleitung in's N. T. Halle 1828. p. 2 sqq. p. 184.

11) Apud Ephraemum tres Apostolos nomen Judae gessisse ac tertium cognomine Thomae praeditum fuisse deprehendimus. conf. Assem. B. O. I. 100. 7. coll. p. 318.

inde ab interpretationis simplicis incunabulis cum ea jam conjunctos fuisse; contra enim omnes testes clamant. (v. ann. 9). Sin aliquis exstiterit, qui cum Hugio audeat facere, qui scripta illa post Ephraemi tempora ex interpretationis simplicis Codicibus demum excidisse existimat: is adeat velim Guerickium [12]), a quo illud quam parum aptum sit putare, jam animadversum est ac notatum. Verum enimvero equidem confiteor, difficile esse dictu, quinam tandem fons sit, unde Ephraemus ista hauserit: certe enim de alia quadam librorum sacrorum interpretatione syriaca tum temporis inter Syros usitata omnes tacent [13]). Facile quidem omnes nodos solvisse putarit quispiam, si Ephraemum ex graecis depromsisse ista autumarit; sed timendum est, ut graecam

---

12) In libro supra memorato p. 5.

13) cf. Comment. critic. p. 10. 11. Labefactatur igitur si placuerint quae ibi disputavimus Assemani opinio, de Versione quadam ex Graecis apta atque Ephraemi tempore usitata, quam attigit in B. O. III. 1. 76. coll. I. 71; utriusque enim loci ibi mentio non est facta.

linguam revera illum scivisse nobis probet. Et si quis est, qui interprete quodam, ex graecis ista suggerente, Ephraemum usum fuisse credat, equidem tamen propter locorum quos noster protulit frequentiam, hanc sententiam vereor, ut ei possim concedere. Quae quum ita se habeant, si quaeritis, de re ista tam difficili et quasi desperata, quid sentiam, respondeo, quod Michaelis [14]), plaudente Bertholdto [15]), sumsit, interpretationem nimirum quandam syriacam illorum librorum, quos plurimi quidem homines critici in suspicionem vocarunt, neque tamen in interpretationis simplicis, quae Ecclesiae auctoritate affecta esset, corpus receptam, jam Ephraemi tempore exstitisse: illud, inquam, si res aliter explicari posset, non ferrem; jam vero ei largiri me coactum video.

---

14) J. D. Michaelis Einleitung in die göttlichen Schriften des N. T. p. 1898.

15) Bertholdt Einleitung T. II. p. 655.

2. Etsi hebraeam atque graecam linguam noster omnino non calluit [16]), tamen inde maximum ei exstitit adjumentum, quod praeclaram illam S. S. interpretationem, quam simplicem vocare Syri solent, adhibere ei licuit [17]). Etenim quum intima inter syriacam cum hebraea dialectum sit cognatio, jam facilis est conjectura, in verborum et rerum obscuritate Ephraemum, qui syriaca sequeretur, plerumque verum vidisse, ubi alios interpretes, etiamsi ob doctrinae copiam et scientiae pervestigationem ingeniique aciem multo excellentiores exstarent, tamen propter linguarum inscitiam, septuagintaviralem potissimum in-

---

16) Cf. Comment. crit. p. 4—7. p. 21 sqq. Huc etiam pertinet Auctoris nescio cujus grave testimonium, quod invenies apud Assem. B. O. I. p. 48. annot.

17) Cf. Comment. critic. p. 10 sqq. Atque idem illud argumentis sane doctis denuo nuperrime comprobavit Nicolaos Wiseman in Horis syriacis (Romae MDCCCXXVIII) T. I. p. 107 sqq. De interpretatione N. T. eaque simplice ab Ephraemo adhibita idem vir doctus disseruit: p. 107. ann. p. 109. ann. 3. p. 139. ann. 53.

terpretationem ab orientalis sermonis genio remotiorem persecutos male lapsos videmus. Jam optima textus syriaci quo utebatur conditio quantum in scriptis explanandis ei adjuverit, existimari potest neque mea eget interpretatione. Sed tamen, ut illa interpretationis ecclesiasticae praestantia Ephraemi explanandi munus multifariam adjuvit: sic si quid in ea peccatum est, Ephraemi etiam explanatio claudicat, quin etiam saepe nugas sapit, de quo vero, non tam quia longum est, quam quia perspicuum, quidquam dici non est necesse. Inde vero, quod Ephraemus ab interpretationis simplicis vestigiis prorsus pendet, jam quasi tuo jure dubitare possis, num artem criticam unquam adhibuerit aliasve Versiones contulerit. Sed quum illa, quae paucis tantum, ne quid omissum videatur, attingenda erant, aliis alibi a nobis explicatis rationibus, jam pateant in promtuque sint, omnibus qui scire velint, neque ea nova mea interpretatione planius exprimi possint, jam missa ea faciamus et in genere,

quod nobis proposuimus, explicando, progrediamur.

3. Jam vero, ut ad aliud transeamus, magni momenti hoc est, quod in ipso Orientis quasi gremio inque ea ipsa regione, qua res in libris sacris descriptae, maximam quidem partem gestae erant, versari ei contigit. Namque Euphratem etiam transgressus adeoque Aegypti regiones peragravit. Ex quo autem fieri debebat, ut sive de antiquitatis moribus ac consuetudine sive de populorum exterorum religionibus et cultu divino, sive de regionis alicujus natura, sive de urbium situ et de aliis hujus generis rebus esset disputatio, verissimas saepe sententias poneret. Eodem vero accedit, quod multa etiam inde a majorum tempore in hoc antiquissimae historiae theatro nonnisi memoriter servata et dissipata, a posteris, qui ex quadam religione ea asservarent, ore accepit quodque nonnullorum antiquissimi temporis institutorum ac consuetudinum, quae adhuc vi-

gerent, accurata quaedam cognitio ad haud mediocrem S. S. locorum numerum accuratius explanandum, multum attulerunt; in quibus omnibus admodum quidem caute videndum erit, ne fictam quandam narrationem et fabulam, de quo genere infra videbimus, tamquam veram et a majoribus delatam traditionem vel certe eam quae quandam speciem habeat veritatis, tibi vendi patiaris. Quid mirum vero, quum in illo genere, quod modo monuimus, excelluerit, quod harum rerum scientia alios interpretes ab ea prorsus nudos, plerumque superavit? Atque hujus generis, ut id probem, nonnulla digna sunt, quae infra hic adscribantur [18]).

---

18) Veluti ad locum 1 Rgg. 18, 23 sqq. I. 496 B. de Eliae sacrificio haec disserit, quae paene verbum de verbo reddita jam sequuntur: „Certamen expetiit (nimirum Elias) cum Baalis prophetis; neque tamen hi viam quaesiverunt, ut congressum cum eo evitarent immoque forte exoptarunt, si quidem verum est illud, quod nonnulli ex scriptoribus narrant. (Jam nos cognitum habemus quod in nostris diebus quidam scelerati et perniciosi facere solent.) Putant enim (scriptores), Baalis sacerdotes altare construxisse et in

4. Sed his explicatis jam progrediendum est ad aliam disputationis partem, quae

---

medium illud hominem quendam inclusisse, qui nutu eorum et constituto tempore ignem aggereret et lignorum acervum victimamque in altare succenderet; tum propter fiduciam in isto positam se parasse (Baalis sacerdotes), ut, propter victoriam de qua persuasi essent laetati et exultantes, pugnam intrarent, atque Etiam lacessivisse. At vero inanem eorum spem statim abscidisse Eliam. — — — — Porro tradunt, hanc veram fuisse caussam, propter quam Elias aquas super altare et super terram circum id effundi juberet; claudere nimirum volebat os sacerdotum Baalis, quippe quum sciret quod obtrectaturi forent, dicturi, ignem non de coelo descendisse.“ — Verum cum hac, quam aperuimus, Ephraemi narratione, conferre placet alteram simillinam quam apud Chrysostomum legis in Hom. de Petro et Elia, in Opp. ed. Montefalc. II. 737. ubi occurrunt hujusmodi: *ὃ μέλλω λέγειν θεατὴς αὐτὸς γέγονα· ἐν τοῖς βωμοῖς τῶν εἰδώλων ὀπαί εἰσι κάτωθεν τȣ̃ θυσιαστηρίȣ, καὶ ἔστι τις λάκκος κάτωθεν ἀφανὴς, καὶ κατέρχονται οἱ τῆς πλάνης ἐργάται ἐν τῷ λάκκῳ, καὶ οὕτω ταῖς ὀπαῖς ἐκείναις, κάτωθεν τὸ πῦρ ἄνωθεν ἐκφυσῶσιν εἰς τὴν θυσίαν, ὡς πολλοῖς ἀπατᾶσθαι, καὶ νομίζειν ȣ̓ράνιον εἶναι τὸ πῦρ· ἵνα ȣ̃ν μὴ καὶ ὁ Ἡλίας τοιȣ̃τόν τι ὑπονοηθῇ ποιεῖν, ἔπεμπε τὸ ὕδωρ. ἵνα τὴν ὀπὴν τὸ ὕδωρ ἐλέγξῃ. ἀνάγκη γὰρ ὅπȣ ὀπὴν εὑρίσκει τὸ ὕδωρ ȣ̓ στήκει, ἀλλὰ κατέρχεται.* — Alterum exemplum, si cognoscere cupias, patet T. I. 161 ad Gen. 15, 9 sqq. explicatum, ubi ritus describitur, quo Abrahamus foedus cum Jehova pepigit. Namque ex Chaldaeorum narratione ore ut videtur sibi tradita refert haec de foedere sancito: *„Hic fuit mos apud*

paullo latius patet. Quoniam enim multus Ephraemus est in verbis et sententiis aliorum

---

Chaldaeos in juramentis suis, quod per caesa et dissecta quaedam animalium cadavera transirent et precarentur: ne pari modo nobis accidat! Quum Abrahami genus esset chaldaeum isque ex patria sua egressus fuisset, curam adhibuit deus secundum suam voluntatem, ut quemadmodum mos illius poscebat, justo modo juramentum sanciret atque pangeret.— " Tertium, ut voluntati vestrae largiamur, habetis in loco Gen. 15, 12. l. l. p. 162. B. C. ubi status depingitur in quo Abrahamus versabatur, qui dei praesentia gauderet. Hic vero ad verba: »*Et sol in eo erat, ut occideret et sopor incidit in Abrahamum et ecce terror tenebraeque spissae oppresserunt eum*«— haec, quae adscripturus sum, adnotantur: „Quaenam hujus terroris fuit caussa? Explicabo eam, quantum potero. Erat enim ex consuetudine Chaldaeorum etiam illud, qua versus aves volarent, explorare. Quibus idemtidem deus indulsit, quum sciret, homines illud ex more suo facere solitos esse. Quum igitur aves super dissecta membra se congregassent, attendebat Abrahamus, quomodo tandem cum iis acturi essent et quamnam regionem versus essent volaturi. Existimabant enim (Chaldaei), nefas esse, si carnivorae alites eaeque immundae dissectis partibus insisterent." — Attamen, ne nimia exemplorum copia hic aggesta fastidium vobis creare videar, accedam ad extremum ejus generis, quod instituimus, exemplum. Ad Gen. 15, 17. (l. l. p. 162 E.) quo nimirum in loco de clibano fumante et face ignea, quae per partes illas animalium dissectas transirent, tamquam de dei praesentis ac foedus cum Abrahamo ferientis indiciis, sermo est, ad illum, inquam, locum, dis-

interpretum eorumque exemplis Commentarii sunt referti: disquirendum est, qui sint et quales sint eorum interpretationes. Si vero exempla, quae huc pertinent, percurramus, in quibus sive indefinite nonnisi de *quibusdam aliis* qui sententiam aliquam tulerint, omni propiore indicio suppresso, loquitur [19]), sive alii distinctius *interpretum* [20]) *scriptorumve* [21]) nomine notantur, sive alii tamquam *profani homines* [22]) male taxantur, si istum, inquam, exemplorum numerum expendamus, tum singulas nimirum

---

serit hoc modo: „Illud accidit secundum Chaldaeorum consuetudinem, qui juramenta sancire voluerint. Lampades nimirum gestantes per dissectas animalium partes transire solent.“

19) Utitur scilicet sive his verbis: אִית דְאָמְרִין sive dicit אִנְשִׁין אָמְרִין I. 9. F. 43. C. 56. F. 57. A. 239. D. 309. D. 351. E. 363. C. 391. B. 530. C. 407 E. — II. 4 B. 196 D. 286. F. relic.

20) אִנְשִׁין מִן מְפַשְׁקוֹנָא I. 364. E. 425 B.

21) אִנוֹשִׁין מִן סַפְרָא I. 496. E.

22) בָּרוֹיָא qui extra ecclesiam versantur, profani. I. 26. D.

verborum hebraeorum interpretationes, tum narrationes memoriter traditas, tum alia plura diligenter considerantes: dicendum omnino est: maximam hujus generis partem ab Judaeorum disciplina desumtam videri. Scitum est enim, frequentem fuisse Judaeorum in Mesopotamia, quum Ephraemus ibi vitam degeret, multitudinem atque omnem Syriam jam Flavii Josephi tempore, imprimis vero praeclaras illas urbes, Antiocham nimirum [23]), Babylonem [24]), Neardam vicinamque Nisibin, qua utraque quidem urbe tamquam communi aerario Herodis tempore Judaei uterentur [25]), istis hominibus abundasse, quos *circumcisos errantes* [26]) noster appellat atque innumeris in locis, vel propter dogmatum corruptionem, vel propter dominandi et proselytos faciendi

---

23) Jos. de B. J. VII. 3. 3. II. p. 407. ed. Haverk.

24) ej. Antiq. XV. 2. 2. T. I. p. 741. c. Spanhemii annot. margini adspersa.

25) l. l. XVIII. 9. 1. p. 906.

26) טֹעֲיָא גְזִירָא II. 469. A.

studium, vel propter immunditiem, vel propter alias malas artes pernicisiosasque machinationes quam acerbissime inculpare et taxare solet. Eodem accedit, quod ex Hebraeorum ipsist estimoniis receptum ac cognitum habemus, tum temporis in Mesopotamia multas eorum scholas floruisse et Sorae, Neardae, Pumbeditae, Narescae, Machuzae aliisque in vicinis urbibus praeclaras fuisse [27]). Quid quod Aurelius Cassiodorus, qui circiter ann. 469 s. 470 est natus, ut summo literarum hebraearum desiderio excitatus, ita dolore acerbissimo simul affectus, quod scripturis divinis magistri publici Romae deessent, una cum Agapito Papa, scholas publicas ad sanctam scripturam addiscendam Romae instituere in animo habuit, quales tum temporis in urbe Nisibi, qua ipse Ephraemus noster natus et institutus fuisset, laete florentes sci-

---

27) Assem. B. O. I. in Prologo p. 2 et 3. — Bartoloccii Bibl. rabbin. T. III. p. 663. — Wolfii Bibl. Hebr II. p. 921.

ret [28]). Atque ex his, quae modo dixi, et si universam Ephraemi interpretationum habitum et colorem consideraveris, jam verisimillimum esse debet, Ephraemum maximam suae rerum scientiae et eruditionis partem in Judaeorum consuetudine sibi comparasse, in quo illud quidem quasi jure tuo mireris, quo tandem modo factum sit, ut linguae hebraeae studium plane neglexerit. Fecit scilicet noster cum aliis nonnullis scriptoribus ecclesiasticis, quales accepimus Eusebium Caesareensem et Hieronymum eosque in media Palaestina aetatem degentes et cum Judaeis frequenter disserentes, quales porro Chrysostomum ejusque familiarem Theodorum Mopsvestenum aliosque plures cognovimus, qui a linguae nimirum hebraea plane nudi fuerunt, quamquam de quorundam verborum significatione dubie haerentes, linguae hebraeae peritos adire solebant, quibus tamen

---

28) Audias velim Aurelium Cassiodorum praefantem tractatum suum de Institutione divinarum literarum, in ejusd. Opp. ed. Garetii. T. II. p. 537. principio.

persaepe nimis credulos se praebebant. Jam vero ex iis, quae nunc uberrime exponemus, magis etiam apparebit, quam frequens fuerit Judaeorum auditor. Namque ea, quae invenimus exempla, diligenter tamen ea expendentes et seligentes, collocabimus, quoniam quod in universo est probatum, id in parte est probari necesse.

5. Primum igitur, ut inde incipiam, de verborum ex hebraeis ab interpretationis syriacae auctore retentorum significatione Judaeos consuluit saepenumero. Ejusmodi haec sunt, quae sequuntur. Est enim ad locum Gen. 28, 19. (I. 178. F.) his verbis loquens Ephraemus: בֵּית איל מִתְפַּשַׁק בַּיְתָא דַאלֹהָא *Beth-el explicatur: domus dei.* — Egregium est exemplum quod exstat in Commentariis ad locum 2 Rgg. 3, 4. (I. 523. E) ubi de voce נָקְדָא *princeps pastorum ovium* (נֹקֵד) praeclara quaedam profert; nempe de quo loco plura hic disserere superfluum est omnino, quoniam ab Aemilio Roedigero, viro omni nomine suspiciendo, jam egregie

sane explicatum videmus [29]). Alterum est, Regg. 18, 16. (I. p. 498. F) בַּרַת קוֹלָא דֵין עֵברוֹנָתָא הֹוֹי דִיַמָא אֲמַר מַפְשְׁקוֹנָא אֹתּ מַערבָא עֲנִינֹה הוֹי *vox autem hebraea quam mare reddit interpres* (syrus) *etiam pro occasu* (solis) *in usu est.* — Aliunde vero colligi debet, Judaeorum responsis in errorem eum inductum esse et insulsa quaedam protulisse nonnunquam. Ejusmodi sunt quae ad locum 1 Sam. 23, 28. (I. 378. E) de vocabulo syriaco סֻנעוֹר, quod hebraeum putat, magistri responso deceptus quidem et fucatus, somniat. Haec si cognoscere cupias, consulas virum doctum Crednerum, nunc Jenensem, qui illum locum conjectura praeclare assequutus est [30]).

6. Haec dixi brevius equidem, cum totum genus tale esset, quod paucis de-

29) In praeclaro libro quem inscripsit: De origine et indole arabicae L. L. V. T. hist. interpretatione libri duo. (Halis Sax. cIↃIↃcccxxix. 4.) p. 10. ann. 9.

30) Car. Aug. Credner de Prophetarum minorum Versionis Syriacae indole. Diss. I. (Gotting. MDCCCXXVII) p. 41.

monstrari posset, deinceps vero de altero quodam genere interpretationum judaicarum, quod occurrit nonnunquam et in *narrationibus et sententiis* positum est, aperiendum videtur. Multas enim habet ex Judaeorum commentis fictas sententias et narratiunculas, quae ad illud genus propius accedunt, quod Judaei אגדות appellare solent. Qualis vero fuit ejus interpretatio si quando parum considerate aurem praebuerat Judaeis eosque imitabatur, qui absurdam et trivialem quandam traditionem sequerentur [31]), quam insulsa et abjecta quamque vitiosa et inquinata, hoc dabimus operam, ut nihilo minus industrie quam accusationis gravitas postulabit, demonstrasse videamur. Jam igitur, ut exempla ordine librorum disponam ac digeram, a loco, quem in Opp. I. 9. A. in promtu habes, convenit exordiri, quo in mense Nisan

31) cf. I. 365. C. אנשין אמרו מן משלמנותא דקדמיא *ajunt nonnulli ex traditione majorum.* — I. 370. med. אנשין איך משלמנותהון *quidam secundum traditionem suam.*

mundum creatum esse autumat [32]). Quae vero sententia ex judaico rivulo profluit; Hebraei scilicet, quemadmodum mense Nisan primum hominem creatum esse autumabant neque in eo ipso majores per Mosen ex Aegypti servitute liberatos esse nesciebant, sic eodem mense se redimendos putabant per Messiam [33]). — Aliud illius modo patefacti ob vilitatem suam haud absimile exemplum incidit in iis, quae mox sequuntur, (I. 26. D. E.) Hic enim interpretes alios eosque profanos (בַּרִּיָא) reprehendit, qui vitiose fabularentur, primos parentes, licet nudi essent, tamen non erubuisse idcirco, quia pueri (שַׁבְרָא) essent [34]). Paucis

32) Eandem sententiam amplexus est Barhebraeus in Chron. Syr. p. 3. et Cosmas Indicopleustes in Topographia Christ. in Montefalcon. Coll. nova Patr. II. p. 192.

33) v. Meuschenii N. T. ex Talmude illustratum p. 906—908.

34) Haud facile quis obverterit, alias (nimirum in Serm. exeg. II. 321 A.) nostrum a se ipsum tamen descivisse videri, quum Adamum nescivisse diceret, se peccaturum, si de pomo comederet, si quidem Adamus infans adhuc esset דְּלָא יָדַע הֲוָא אָדָם שַׁבְרָא דְמַחְטָא חָטֵא כַּד אָכֵל הֲוָא. Verum

vero interpositis addit haec: „Propter gloriam (שׁוּבְחָא) quam induerant (homines protoplasti) non erubuerunt, quae vero quum post praecepti migrationem ab iis sublata esset, erubuerunt. „Ceterum illam *gloriam*, quam alias *coeleste indumentum* [35]), nimirum *stolam gloriae*, appellat, Evam primum, ut deliquisset, non exuisse dicit, alioqui enim Adamus utique ejus infortunio ab esu vetiti fructus abstinuisset nec ut reus damnandus fuisset, id quod nempe fieri deberet. p. 31. F. 32. *A.* — Porro Henochum et Eliam in Paradisum terrestrem translatos esse, ex Judaeorum, quam traditam acceperat, ficta narratione, statuit (II. p. 324 E. — 325 C.); atque eandem sententiam de Henocho passim recoquit (II. 335. F.

---

enimvero nemo non vidit, Ephraemum esse dicturum, Adamum propter mali bonique inscientiam infantis instar illud ignorasse.

35) I. 26. F. תַלְבֻשְׁתָא שְׁמַיָנָיְתָא. In Opp. gr. III. p. 150 B. ait, illud Evam gloria nudasse (*ἐγύμνωσεν ἐκ τῆς δόξης τὴν Εὔαν*) quod cibi gustum appeteret. Ita etiam explicantur in Serm. 3. III. 154. B. quo profitetur, *Evam in nuditate sua veste indutam fuisse.*

— 326 fin. 345 B. 399 D). Qua tamen in re acerbissime taxat eos, qui Eliam et Enochum abeuntes in coelum corpora sua dimisisse suamque hoc pacto purgasse naturam somniarent (Serm. 19. II. 477 E). Namque erat commentum Judaeorum, decem homines corpore et anima praeditos paradisum ingressos esse, inter quos Elias et Henochus recensentur [36]). — Item judaicam originem sapit illud, quod duos illos martyres qui in Apocalypseos libro (c. 11, 3—13) ad permovendos et convertendos hominum animos prodituri esse finguntur, fore Henochum et Eliam putat [37]). — Ex hebraea itidem fonte hausta est fabula, septimam quamque aetatem esse aestumatissimam ideoque Adamum, Sethum, Enosum, Kenan, Henochum (Ep. Iud. 4). Deo esse omnium maxime caros, quae occurrit II. 399. Quam vero miram sane sententiam a numeri septe-

---

36) Jo. Christ. Otho in Lex. Rabbin. (Genevae M. DC. LXXV. 8.) p. 614. s. v. stella.

37) v. Ewaldi V. C. summe colendi, Comment. in Apocalypsin (Lips. 1828) p. 197. 198.

narii sanctitate repetenda, Judaei profitentur [38]. — Porro ad Gen. 11, 31 (I. 156 D.) de Abrahamo narratio interponitur, qua ille Chaldaeorum simulacrum quoddam confregisse fertur; jam vero simillimas de Abrahamo in Mesopotamia versante traditiones ex Judaeorum scriptis collocatas accepimus [39]. — Ad Gen. 14, 18. (I. 61 E.) Melchizedecum qui Abramo fausta precatur, eundem habet ac Schemum, filium Noachi, Hebraeorum vestigia presse sequutus [40]. — Ad locum Gen. 25, 22. I. 173 B.

---

38) Otho l. l. p. 438. s. v. Paradisus; p. 171. s. v. Enoch. — Fabricii Cod. Pseud. V. T. II. p. 168.

39) Meuschen l. l. p. 1044. 1045. — Jac. Rhenferdii Opp. Philolog. (Traj. ad Rhen. cIↄIↄxxII) p. 719.

40) Bruckeri Histor. Philos. II. p. 926. Fabricii Cod. Ps. V. T. II. 311. In gratiam Hebraeorum Jonathan et Targ. Hierosolym. in loco libri Geneseos in superiore cera memorato nomini — מַלְכִּי צֶדֶק addunt verba haec: הוּא שֵׁם בַּר נֹחַ hic est Schemus filius Noachi. Ceterum memorabile est, quod in Codice quo usus est Assem. in B. O. I. 66. Melchizedecum Chananaeum fuisse censet. Sed Petrus Benedictus in Opp. Ephr. syr. I. in Praef. ad Lect. praemissa p. 4 probabiliter censet: hanc antilogiam ex sola confusione in margine Catenae apponen-

ubi Rebecca abiisse fertur, ut Jehovam consuleret, Melchizedecum vel Schemum fuisse eum, qui praediceret, quae sciscitura esset, sumsit [41]). — Num. **11, 7. I. 218 D. 256 C.** *mannam* cujuslibet cibi naturam et saporem mirifice induisse ideoque כּוּסְבַּרְתָּא *omnem cibum* appellatum esse nos persuasos vult. Verum quum locus iste aliquid habeat dubitationis, uberius et enucleatius explicetur oportet. Etenim hebraea (וְהַמָּן כִּזְרַע גַּד הוּא *manna autem instar seminis coriandri erat*) in syriacis transferuntur hunc in modum: וּמַנָּא אַיךְ זַרְעָא הֲוָא דְכוּסְבַּרְתָּא quae Gabriel Sionita sic reddit: *manna vero quasi semen erat coriandri.* Atqui illum interpre-

---

dorum natam et priorem quidem sententiam Ephraemo, alteram Jacobo Edesseno esse attribuendam.

41) Schemum fuisse dei interpretem putant etiam Phendo - Jon. et Targ. hieros. ad l. l. atque alii Jehovam per Melchizedecum loquutum esse autumant, quorum jam meminit Theodoretus in Quaestt. in Gen. Interr. LXXVI. (Opp. ed. Schulze T. I. p. 89) atque in eandem sententiam abscessit Jo. Clericus in Comment. in Genesin (Amst. 1693) ad l. l. Ephraemus igitur utramque hanc sententiam coaluit, quum Schemum eundem cum Melchizedeco putaret.

tem hanc vocem כּוּסבַּרְתָּא quae chaldeae כּוּסְבַר prorsus respondeat, suo jure per *coriandrum* reddidisse, dubitari nequit [42]. Neque tamen illud vocabulum ab Ephraemo ita esse intellectum, ipsius verba evincunt, quibus locum supra allatum explicet hoc modo: מַנָּא דְּאָמַר עֲלוֹהי דַאיךְ זַרְעָא הוּ דכּוּסבַּרְתָּא דַּנְדע דַּכּוּלמֶדֶם מֶתבַּשַּׁל הוָא אֶף בַּטעֳמָא אֶף בַּדַּהִינוּתָא ואֶף בַּחֲלִיוּתָא מְשַׁוּתַּף הוָא. *Quod de manna dicit eam similem esse seminis Cus'bartho* (fit) *ut ostendat, eam, cujus modo cunque cibi ratione coquatur, ejus saporis etiam, aut pinguedinis aut dulcedinis, participem fore.* — Haec si legerit, quis est, qui dubitare possit, quin vocem Cus'bartho ea potius ratione quam supra indicavimus, nimirum de *omni cibo*, quam de coriandro intellexerit. Quid, quod de manna hac spirituali sententiam suam his ipsis verbis enucleatius deinceps exponit (I. 256 D): Sive mola eam (mannam) comminuerent sive in

---

42) v. J. Buxtorfii Lex. Chald. et Talmud. f. 1061 et Gesenii V. S. V. Thesaurum ling. hebr. et chald. (Lips. 1829) T. 1. fasc. 1. p. 264. s. v. גַּד.

mortario contererent et placenta ex ea coquerent: mannae saporem usque aut mola aut mortarium aut olla [43]) aut placenta moderabantur. — Quae omnia quum ita se habeant, non possumus, quin cum Wisemanno [44]) faciamus, qui Ephraemum vocem illam Cus'bartho, tamquam antiquam et obsoletam, ex כֹּל *omnis* et תִּיבַרְתָּא *cibus* conflatam sumsisse censet. Neque eo contra leges grammaticas deliquit, quoniam litera liquida Lomad, quemadmodum in hebraeis et imprimis in arabicis [45]), saepius subsequenti literae assimilatur, sic in syriacis sive linea occultante subscripta negligitur sive omnino excidit nonnunquam [46]). — Sed video, dum

---

43) בְּקֶדְרָא, his scilicet punctis vocalibus instructam vocem ubique deprehendimus neque קַדְרָא scriptam, sicuti pronuntiatur Michaelis in Cast. Lex. Syr. 781. ubi exempla prorsus desiderantur. In iis, quae statim subsequuntur I. 256. D. legimus pluraliter קֶדְרֵא itidemque I. 336. D. ubi cum verbo synon. קֶדְסֵא componitur.

44) Wisemanni Horae Syr. p. 127.

45) v. Gesenii Lehrgebäude cet. p. 132. b.

46) A. Th. Hoffmanni Grammaticae Syriacae lib. III. p. 128. 4) a) p. 129. 2) c).

breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo uberius: progrediar igitur in iis, de quibus disputare orsus sum et dicam, si potero, quae nobis sunt relicta, brevius. Adjungam vero exemplum quod exstat Num. 20, 17. I. 263 C. D. ubi uberius explicatur et probatur Talmudistarum fabulam de rupe quae Israelitarum sequebatur castra, quam attigit per Allegoriam Paulus Apostolus 1. Cor. 10, 4 [47]). — Aliud exemplum digito monstrasse juvat, quod habes I. 363 C. D. ad Sam. 15, 22. coll. p. 381 B. C. ad 1. Sam. 24, 21 explicatum. — Memoranda autem sunt ea, quae ad Jes. VI, 1. II. 29 C. legimus. Omnibus est in promtu ficta illa narratio, ab Barhebraeo fusius descripta sed ab omnibus fere antiquis interpretibus similiter tacta, de doni vaticinandi per longius tempus cessatione, eo quidem commissa, quod Jesaias propheta Usiam regem, quominus incensum

47) cf. Meuschen N. T. ex Talmude ill. p. 289. 13. — J. C. C. Döpke Hermeneutik der neutestamentlichen Schriftsteller (Lips. 1829) I. p. 42.

adoleret, non prohibuisset [48]). Jam vero ipsa fabula apud nostrum redit. Veterem nimirum quandam traditionem aut aliorum scriptorum vestigia sequutus (אמרין I. 29 C.) enarrat, Usiam regem quatuordecim annos praeclare ante regnasse, quam manus ad nefandum facinus porrexisset (l. l. regm. D); at inde ab eo tempore propter Usiae scelestam audaciam per triginta octo annos visiones quasi velatas fuisse (ib. מכסי הוא חזוא תלתין ותמנא שנין מתול מרחותא דעוזיא) neque ipso Jesaio per omne illud tempus vaticinia edere licuisse, quia, etsi ad regem a deo ablegatus fuisset, illum tamen taxare nollet (p. 32 מתול גיר דאשתדר ולמכסיו לא צבא) omnes vero dies, sic narrationi finem imponit (p. 29 C.), summo dolore affectus in sacco et cinere sedisse ad mortem Usiae usque. — Porro ad locum Ezech. 28, 14., quo propheta contra Tyri regem vaticinium convertit, absurdam sane sententiam tulit, ibi de *Hiramo* qui Davidis tempore regnasset,

---

48) v. Gesenii Commentar über den Jesaia I. 1. p. 6. 254.

esse sermonem. Hanc vero Judaeorum opinionem multis demonstravit Hieronymus [49]). — Dan. 4, 14 ponit, vel Evilmerodachum vel uxorem Nebucadnezaris per septem annorum spatium quo rex Babylonius a vesania correptus esset, regno praefuisse, quemadmodum Judaei imprimis putarunt [50]).

---

49) Hieronymus in Opp. ed. Martianay T. III. p. 900 ad Ezech. l. l.: „Solent Hebraei inter ceteras fabulas suas et genealogias atque interminabiles quaestiones, haec contra Hiram regem Tyri dicta intelligere, quum a Salomone usque ad Ezechielem anni sunt plurimi, quos eo tempore homines non vixisse, perspicuum est.“ — Paucis vero interjectis sic pergit: „Adduntque fabulae suae miraculum, ut contra scripturam immo sine scripturae auctoritate, dicant, Hiram mille vixisse annis. Verum haec quam violenta sit interpretatio, absque nostro judicio prudens lector intelligit.“

50) Priorem illam Judaeorum sententiam aperuit etiam Hieronymus; est enim ad Jes. 14, 19. (Opp. III. p. 114) ita loquens: „Narrant Hebraei hujuscemodi fabulam: Evilmerodoch, patre suo Nabuchodonosor vivente, per septem annos inter bestias, regnaverat — — — usque ad mortem patris.“ cf. Jo. Jahnii Biblische Archäologie II. 1. p. 215. Eandem fabulam, si quid video, redolet Septuagintavirorum in Cod. Chis. additamentum versui 28 in loco Dan. adspersum, quo vox de coelo descendens, Nebucadnezari haec minatur: ἑτέρῳ δί-

7. Nunc, ne forte propter nimiam copiam exemplorum possit animum vestrum

---

ϑοται ἐφϑενημένῳ ἀνϑρώπῳ ἐν τῷ οἴκῳ σȣ. — Alterum illud commentum de Nebucadnezaris uxore, quae Nitocris appellabatur, refert etiam Larcher Tabl. chronol. d'Herodote ad lib. VII. c. 170. — Quarum utraque vero fabula, unde orta sit, facile est videre. Etenim ea ratione inita facilius posse explicari visum est, quonam tandem modo factum esset, ut Nebucadnezar regnum suum per longum septem annorum spatium dimisisset atque nihilo tamen minus post temporis decursum iterum a Chaldaeis accepisset. Haec eadem fuit caussa, cur plurimi interpretes septem illa tempora (4, 13) quae certo ex quadam sermonis ambiguitate pro annis haberi debent, de tribus annis et dimiduo intelligenda esse statuerunt. Putabant enim, annum hebraeum ex vulgari quodam ratiocinandi usu in duo tantum tempora dividi solitum fuisse, quo ver aestati et auctumnus hiemi adnumeraretur. Sic Ephraemus, Theodoretus ad v. 22, Chrysostomus (Opp. ed. Montf. VI. p. 227. D.) et Polychronius apud Angelum Majum ad v. 20. quin etiam Dereser (p. 241) uno ore clamant. Sed luce clarius sit oportet, istam explanationem a veritate multum abhorrere. Namque jam ne alia hic admoneam, ipse sermonis, qui libri Danielici inventoris est proprius usus omnino refragatur, ne illud sumamus. Scitum enim est, in loco VII, 25: *tempus,* (duo) *tempora dimidiumque tempus* efficere *tres annos et dimidium*, sicuti omnes etiam illi interpretes probant. Interpretes igitur a se ipsi descivisse videntur, qui illam vocis significationem alias probant alias vero negant.

defatigatio retardare, consideratius habeo, aliud interpretationum judaicarum genus persequi, quod non tam narratiunculis, maximam quidem partem, ut vidimus, trivialibus et absurdis, quam verborum explanatione atque singuli enunciati sensu eruendo continetur. Hujus generis, si unum aliquod, aut alterum, non omnia quae ejus generis sunt, exempli caussa posuerimus, nostro in vos, lectores, officio satisfecisse vestraeque voluntati largitos esse videbimur, alia enim facile a scito quodam investigatore, si libuerit, accumulatissime potuerunt comparari. Video igitur, Gen. 1, 2 (I. 8. B—F.) „*spiritum qui super aquas incubabat*" a nostro non ita esse intellectum ut esset ἐνέργειά τις ζωτικὴ sive ζωτικὴ δύναμις, quemadmodum eum praeclare intellexit Chrysostomus [51]), sed judaico more de *vento* a Deo mundi opifice creato et immisso, ut Onkelosus, Jonathan. omnesque fere veteres Hebraei male qui-

---

51) Chrysost. in Hom. ad Gen. 3. Opp. ed. Montf. IV. p. 51. C.

dem interpretantur [52]). Accedit vero eorum, qui de *spiritu sancto* auctorem cogitasse putent, acerba vituperatio [53]). — Gen. 24, 2.

---

52) Eadem interpretandi via incessit Theodoretus (Quaest. in Genes. Interrog. VIII. ed. Schulzii I. 13.) atque adeo ille qui Geneseos librum, praeclare admodum quidem, nuperrime edidit, G. A. Schumann (Pentateuchus hebr. et gr. Vol. I. Genes. compl. Lips. 1829 p. 7.) Verum equidem censeo, virum doctum voci רוח *venti* significationem hic injuria tribuisse. Nimirum venti memoria si facta esset, nihil, credo, ad totam illius loci imaginem augendam atque exornandam afferret, nempe ad exsiccandas aquas emitti nequibat, quoniam id tertio demum creationis die (v. 9. 10) accidit. Deinde vero, quominus ad Schumanni partes discedam, vocis רחף propria vi ac significatione satis nota retineor. Nempe ventus, quem inter creationem operantem vult, certo vehementissimus esse debebat atqui vox illa nisi de tenero et molli motu non usurpatur. Ex quo etiam evenit, ut Ephraemus verba רוּחָא דַאלוֹהָא מְרַחְבָא *spiritus dei flabat* ambigue tantum his verbis explicaverit (I. 8 E): רוּחָא נוֹשְׁבָא הוֹת *spiritus* (i. e. ventus) *flabat*, ne verbo quidem innuens, quonam modo ventum flantem sibi cogitaverit.

53) Alias tamen (I. p. 117. coll. Assem. B. O. I. 45. ann. 2. p. 65) Scholion incidit, quo *spiritus Dei* per *spiritum sanctum patris* explicatur. Credat igitur aliquis, nostrum sibi ipsum oppugnasse. Sed patet et satis exploratum est, explanationem illam omnino non esse Ephraemi, v. *Comment. m. critic.* p. 11. annot. 30). Digna etiam sunt quae

I. 78. B. ubi de jurandi ritu agitur, praeclare ait, jusjurandum in circumcisione, quae

---

huc transferantur Petri Benedicti verba (I. ad Lect. p. 3) quae ita se habent: „Hic animadvertendum secundam in Genesin explanationem Catenam esse a Severo Monacho ex Sancti Ephraemi et Jacobi Edesseni Commentariis intertextam, sicut titulus ipse docet, quare eam de Spiritu Sancto interpretationem existimo, Jacobo Edesseno esse restituendam, esto hujus nomen vel a Severo appositum non fuerit, vel ejus loco Ephraemi nomen suppositum. Quod vitium in ejusmodi catenis frequentissimum viri docti annotarunt." — Sed dubium te reddere possit illud, quod Basilius, quum de scripturae loco quem supra posuimus, agat atque *spiritum Dei* de *spiritu sancto* intellectum velit, Ephraemi etiam explanationem vocis מרחפת, quippe quam ex ejus ore didicisset, memorat (in 2 Homil. in Hexaemeron et in Actis Ephr. Opp. III. p. XLIX.) Ne igitur forte fallaris, en, iterum Benedictum ita de hac re disputantem faciamus (l. l.): „Consequenter dicendum est, S. Ephraemum divo Basilio vim vocabuli hebraei מרחפת quod suis Syris commune erat, tantummodo explicuisse nec suorum Syrorum de sensu illius periochae sententiam declarasse, nec aliud profecto probant illa Basilii verba: *τὸ ἐπεφέρετο, φησὶν, ἐξηγοῦνται, τοῦ συνέθαλπε.*" — Explanationem priorem Barhebraeus diserte nostro tribuit in Horreo myst. in Gen. c. I. ap. Assem. B. O. I. 67. 68. alteram vero ignorasse videtur. Hujus vero alterius meminit Augustinus eamque *Syro quodam christiano* accenset, in Genesi ad Litteram. v. Schröckh Christl. Kirchengeschichte T. XV. p. 428.

fuerit sigillum foederis cum Abrahamo initi per Jehovam, a servo factum esse; eodemqae ritu Jacobo adjurasse Josephum (ad c. 47, 29. p. 172 C). Hanc vero maxime probabilem sententiam inter veteres nonnisi Pheudojonathan aliique Rabbini et qui eos sequutus est, Hieronymus amplexi sunt. — Jes. VIII. 1. *scripturam hominis* intelligit *scripturam claram atque facilem ad legendum.* Sic Chald. et Hebraei ceteri. — Jes. XVI, 8. (II. 46. F.) proxime accedit ad Chaldaei et Hieronymi a magistro suo edocti allegoricam interpretationem [54]). — Zach. VI, 5. II. 292 E. quatuor coeli ventos totidem regna intelligit, quemadmodum Chaldaeus et Rabbini plurimi [55]). Huic ego generi exempla plura, quae parata habeo, adjungerem, nisi disputationem ad nimiam magnitudinem crescere cernerem; nunc brevi complectar quod reliquum est.

---

54) cf. Rosenmulleri V. S. V. Schol. ad Jes. ed. 2, I. 566.

55) Rosenmulleri Proph. min. ed. 2. T. I. p. 207.

8. Plurima enim eorum quae adhuc, locis ordine collocatis comprobata, exploravimus, a Judaeis potius accepisse memoriterque pronuntiasse, quam ex scriptis, fabulosis quidem narratiunculis consarcinatis, jam tum temporis scilicet syriace translatis, depromsisse videtur. Neque minus, num de libro Henochi noster notitiam habuerit aut legerit, omnino dubitari licet, quamquam commenta ista, quae ex loco Gen. VI. Judaei elicuerant et libri Henochi fictor exornaverat, saepius memorat. Namque Ephraemus in eo loco, quem modo attigi, *filios dei* ad multorum aliorum exemplum ex contorta quadam loci IV, 26. interpretatione, de Sethi posteris, qui de nomine dei appellati sint, intellectos vult eosdem *filias* hominum s. Cainidarum, quae propter impietatem repudiandae fuissent, uxores duxisse putat. Jam vero eos damnavit, qui de angelis lapsis et ex coelo ejectis qui cum filiabus hominum concubuissent et gigantes procreassent, ibi somniarent (Serm. 19. II. p. 477.

B—479 fin.); porroque alios, ut Manetem, male notat, qui commentum augerent, autumantes, omnia quae in natura accidant, veluti tonitrua, imbres, procellae terraeque motus monstrosa quadam fabula de daemonibus per stellam Veneris vel puellam formosam ad libidinem excitatis, posse illustrari. (Serm. 7. II. 455—456. Serm. 50. p. 458 A). Prima hujus fabulae stamina in libro Henochi, praesertim c. VII—IX ubi aliis coloribus varie est expressa, invenimus [56]), alia vero augmenta, veluti ea quae ex fati opinione de stella Veneris traduntur [57]), labente demum tempore sunt conficta et assuta. Denique vero, quum multi scriptores ecclesiastici, ut Origenes [58]) et Clemens in

---

56) Fabricii Cod. Pheudep. T. II. p. 179 sqq. Bruckeri Hist. Philos. II. 894. Lightfoot in Erubhim s. Miscellaneis, in Opp. I. p. 197.

57) De Ephraemi, qui huc pertinent, locis jam praeclare sane disputavit Gesenius in Comm. ad Jes. Exc. 2. III. p. 338—341. De Chaldaeorum *fato* mox si continget, meam sententiam uberius exponam.

58) cf. Fabricii Cod. Ps. II. 173.

Homiliis [59]) plura jam a libro Henochi mutuati essent adeoque homines gnostici, quos noster imprimis oppugnat, prae ceteris ad traditiones scriptaque Apocrypha provocarent ac forte hunc ipsum Henochi librum propugnandis impiis suis commentis praetexerent, ipse illum cognoverit, haud necesse est.

9. De Judaeis satis dictum est, alia enim, quae ab Judaeorum disciplina sibi accommodaverit, alias, nimirum in capite tertio et quarto ubi de interpretandi ratione strictior erit disputatio, consideratius est exponere; nunc ad aliud genus transeamus. In quo tamen, qui sint interpretes christiani, quibus Ephraemus praeter Judaeos usus fuerit, si quaeris, vereor, ne, si id, quod vis, effecero eaque, quae habeo, expressero, parum tibi satisfaciam. Quoniam vero pauca sunt, ex quibus de eo,

---

59) Homil. VIII. 12. cf. Neandri V, S. V. Genetische Entwickelung der vornehmsten gnostischen Systeme. p. 404. 405.

quod proposui, suspicari tantum licet, breviter cautiusque rem attingam. Num Philonem hebraeum igitur, an Origenem spectet, dum sub Commentariorum initium (I. 6. A), qui tamen locus infra c. III accuratius a me explicetur necesse est, eos castigat, qui creationis narrationem per Allegoriam explicent, disceptari possit, quoniam illud ab utroque similiter factum esse scimus [60]. Sed quoquo modo sese illud habet, Origenis scripta, opinor, haud prorsus ignoravit. Facile, credo, etiamsi Origenis placita jam totam Orientis plagam non peragrassent, evenit, ut per Basilium et Gregorium Nazianzenum, quo utroque familiariter uteretur, de illo sanioris interpretationis principe atque inventore et de scriptis ejus accuratius edoceretur, siquidem hi duumviri Chrestomathiam quandam ex Origenes

---

60) De Origene v. ejus libr. de princip. opp. ed. de la Rue T. II. p. 175. — De Philone videas Henrici Planck Commentationem de principiis et caussis interp. Philonianae allegoricae. (Gotting. cIↃIↃcccvi. 8) §. 44. p. 53 sqq.

imprimis exegetici argumenti scriptis de-cerptam composuerant. Porro Athanasii, quae habentur, explanationes sibi accommodasse putari potest; etenim vita S. Antonii ab Archiepiscopo illo conscripta certe usus est (Opp. gr. I. 249) aeque ac Irenaei meminit (ib. p. 224). Num Eusebii Caesareensis aliorumque qui Origenem vel antecesserunt vel insequuti sunt, legerit nec ne, equidem nescio; de Basilio tamen utroque Gregorio id dubitari nequit, praesertim quum syriacae linguae periti essent. Sed omnis haec disputatio, opinor, maximam suam habet dubitationem; jam propterea quod auctorum illorum scripta graece edita, propter linguae inscientiam, legere nequibat; siquidem de syriacis tum temporis evulgatis interpretationibus nihil prorsus constat. Quid, quod vel Basilii utriusque Gregorii scripta diu demum post Ephraemi tempora, et si Assemanum [61] sequamur, a Jacobo Edesseno saeculo septimo

61) Assem. B. O. I. 475.

demum sunt conversa, nisi Nazianzeni forte interpretatio apud Nestorianos prius jam exstabat [62]). Postea quidem patrum graecorum notitia apud Syros magis magisque increbuit; tum, quae ipsa erat hominum et temporum ratio et locorum consuetudo, quoniam syri in mediterraneis locis versati syriaca nec graeca lingua plerumque utebantur, in praeclarissimis Syriae ecclesiis, Antiochiae nimirum, Tyri, Caesareae, Edessae aliisque interpretis munere viri eruditissimi fungebantur, qui Graecorum scriptis in syriaca vertendis operam apprime navabant; tum multa etiam eorum qui Ephraemum antecesserunt, scripta, veluti Julii Africani (circ. 232) sive Episcopi sive Presbyteri Nicopolis vel Emmaus, syriace reddebantur [63]). Quae quoniam tamen

---

62) Assem. l. l. III. 1. 23.

63) Haec fere sunt, quae de hac re sentiam; nimirum in *Homiliario patristico*, quod egregie ediderunt V. V. docti Ludov. Pelt et Henricus Rheinwald (vol. I. fasc. II. Berol. MDCCCXXIX) ubi vir doctus Aug. de Wegnern, collega et familiaris, de Ephraemi nostri Homiliis perdocte

omnia post Ephraemi tempora demum contigerunt, nescio an tutius sit tenere, Ephraemum nostrum, nisi forte pauca, quae jam syriace exstarent, exemeris, Graecorum scripta eaque minimam tantum partem interprete quodam cognita habuisse.

10. Verum quoniam de interpretibus quos noster sibi accommodaverit, illud satis esse scio, nunc maturabo et quod ad explicandum reliquum videtur esse, si prius aperuero, finem huic disputationis parti imponam, ut deinceps ad alteram transgrediamur. Jam vero, ne de Ephraemi eruditione, qua instructus et paratus libros sacros interpretaretur, plus justo exspectes, hoc admonitum te volo, ut probe consideres, nostrum a communi hominum consuetudine longe remotum rerumque coelestium contemplationi unice deditum et philosophia

---

commentatur, a me exoptatur (p. 226 annot. 4) quid de Versionibus syriacis patrum graecorum Ephraemi tempore evulgatis sentirem, in Commentatione critica me accuratius exposuisse.

monachica vitam exercentem [64]), maxima virium contentione imprimis studuisse, ut, quemadmodum Origenes loquitur [65]), *theoricae vitae indueret altitudinem;* porroque memor sis, nunquam ei contigisse, aut Scholas frequentare aut alibi magistros eruditione claros colere praestantissimisque ingeniis uti, quemadmodum ab omnibus fere graecis scriptoribus, qui de rebus biblicis exponerent, exploratum habemus. Huc accedit, quod interpretationes, de quibus hic potissimum fit disputatio, in Monachorum, etenim tales discipuli ejus erant, usum et commodum conscripsit; inde vero factum est, ut ad permovendos convertendosque animos magis eas accommodaret et imprimis etiam explanandi genus theologicum sive ideale excoleret, id quod minus fecisset, si alius scopus ante oculos ei versatus fuisset. Quibus vero omnibus, quae modo

---

64) Sic fertur Ephraemus apud Sozomenum *ἐν φιλοσοφίᾳ τῇ μοναστικῇ τὸν βίον ἐξασκήσας.* Sozom. H. E. lib. III. c. 16. p. 525. ed. Moguet.

65) De Abrahamo lib. II. c. 8.

diximus, diligenter perpensis, si aequo animo vis judicare, Basilio facile suffragaberis, qui vel propter eruditionem eamque ut videtur liberalem, Ephraemum magnopere fertur suspexisse [66]). In philosophicis quidem rebus, quam fuerit pro tempore suo maxime versatus et excellens, Syri testantur [67]), scripta ejus vero evincunt. Ad Philosophorum nimirum inventa diligentius perdiscenda jam ipsa temporum ratione adducebatur, quum eo vivente omnis Syria talis esset, quae a viris doctis Gnosticorum patria et quasi theatrum summo jure appelletur [68]). Itaque evenit, ut cum philosophis gnosticis disserere eorumque scripta, praesertim Marcionis et Bardesanis lec-

---

66) Sozomen H. E. l. l. *Βασίλειος — ἠγάσθη τὸν ἄνδρα, καὶ τῆς παιδεύσεως ἐθαύμασεν.*

67) Sozom. l. l. *ἐπὶ τοσοῦτον παιδείας κατὰ τῶν σύρων φωνὴν, ἐπέδωκεν ὡς φιλοσοφίας μὲν τῶν ἄκρων ἐφικέσθαι θεωρημάτων.*

68) cf. Ven. Ch. Guil. Augusti de hymnis Syr. sacris Dissert. Vratisl. MDCCCXIV. p. 12. et Ven. Aug. Hahnii Bardesan. Gnostic. (Lips. MDCCCXIX) p. 52.

titare porroque Chaldaeorum de fato commenta aliorumque philosophemata explodere coactum se videret. Philosophiae vero quaenam fuerit Ephraemo vivente apud Syros conditio et species, haud difficile est cognitu. Platonis enim et imprimis Aristotelis de philosophia practica dicta, quae sub saeculi quinti initium syriace redderentur [69]), jam pridem apud Syros orthodoxos, sicuti postea etiam tum apud Monophysitas tum apud Nestorianos, coli coepta fuisse et linguae graecae peritorum ope intellecta circumlataque fuisse, est credibile. — Ad extremum vero notatu dignum duco, Syrum nostrum etiam *res naturales* haudquaquam neglexisse immoque naturae scrutatores saepius consuluisse [70]). Passim

69) Primus omnium fuit Sergius Rhesinensis medicus, qui saeculo quinto ineunte libros philosophicos ex graeca in syriacam linguam transtulit, uti enarrat Barhebraeus in chron. syr. p. 62. coll. Assem. B. O. III. 1. 87. Illum vero insequuti sunt Cumas et Probus qui Aristotelis scripta syriace converterunt. cf. Assem. l. l. p. 85.

70) Sic quod in Serm. exeg. II. 317. B. de humani corporis structura protulerit, ait, ab aliis se mutuatum esse

igitur, de quo infra (cap. IV.) dicemus, qui audiatur, haud indignus est, etsi in aliis rebus, veluti in geologicis, quae tum erat harum literarum facies, vitiosa et absurda plerumque eum dixisse, sponte existimari potest.

11. Nunc his rebus explicatis, separatim quidem, quae de *regulis ac praeceptis* libros sacros interpretari volenti a nostro positis, dicenda videbantur, haec fere sunt.

(מִן אנוֹשָׁא כּאנָא חִדְרָה *ab hominibus justis* h. e. christianis piis, *mutuatus sum*). — Alias vero ad hominum de rebus naturalibus disputantium testimonium provocat, veluti ad Job. 39, 18 leguntur haec: אמרין מְמַלְּלֵי כַּיְתָא (rect. כִּיוֹנָתָא ut videtur). Ut conjecturarum studio indulgeret commodoque suo inserviret, putabat vir beatus Ol. Gerh. Tychsen (Physiologus syrus s. Historia Animalium XXXII. e cod. vatic. ed. Rostochii, MDCCXCV p. X.) in loco quem modo dixi rescribendum esse singulariter מְמַלֵּל, nempe Ephraemum ad ipsum illum Physiologum, qui in Cod. Syr. Vat. מְמַלֵּל עַל כִּיוֹנָתָא appelletur, provocasse. At vero pluralis numerus est retinendus, id quod Jacobi Edesseni testimonio utique probatur, qui in Opp. Ephr. I. 185. D. haec profert quae sequuntur: אמרין מְמַלְּלֵי כִּיוֹנָתָא דִיַתִּיר אִיתַיהוֹן מַו: לְנָא מַיָא הָלֵין דְמִצְרַיִן *Ajunt qui de rebus naturalibus disputant, Aegypti aquas ad foecunditatem multum conferre.*

Magnopere enim discipulos hortatur, ut animo rei magnitudinem complectentur eosque excitat, ut Graecorum hominum ingenio et doctrina abundantium exempla strenue amplexi, in literarum studium indefessi incumbant, in Serm. exeg. II. 317. 318, ubi ad extremum Serm. I orationem sic ad discipulos convertit:

Qui appulisti animum tuum, discipule,
ad summos sapientes persequendos,
ne des somnum oculis tuis
neque dormitionem palpebris tuis;
sapientia est enim non otiosa
sine labore et contentione,
non diligit ignavos
neque desiderat inertes
neque luxuriosos complectitur,
diligit vero strenuos et sollertes
et amplectitur attentos purosque.

Aliis vero in locis interpretis deformem imaginem exprimit, qui sine scientiae pervestigatione neque solidam doctrinam consecutus, omnem scripturam, in maximum scilicet religionis atque doctrinae detrimentum, conturbat et contorte intelligit. His enim verbis (in hymn. adv. scrut. 53. II.

99 C.) est loquens [71]: „Enimvero scripsit (deus per spiritum sanctum) verba accurate discernenda [72], quae comparari possunt, quantumvis discrepent, pharmacis, idcirco, quia ad omnium sanitatis salutem congregantur et veniunt, jam vero qui ignorat eorum vim, iis morte afficit, qui vero cognitam habet eorum vim, triumphat iis. Ab hoc pharmacorum ipso exemplo, converte te ad scripturas. Sunt enim plurimi idiotae quibus pharmacis opus est, plurimi vero etiam sunt imperiti qui lectionibus (ecclesiasticis) adsunt. His quidem inter se discrepare videntur verba in interpretum ore; in scriptura omnia conspirant, sed interpretes sunt pleni conturbationis."

Accedat vero ad rerum scientiam ac doctrinam oportet pietas vitaeque sinceritas. Etenim qui scripturas sacras explanare

71) Carmen est pentesyllabum sive metrum Ephraemianum, de quo videas Ven. Hahn in Bardesane etc. p. 45. 46

72) קלא דפורשׁונא pr. *verba discriminum* h. e. quae accurate discernenda et separanda sunt, difficilis igitur argumenti.

aliosque de iis edocere voluerit, is imprimis etiam praecepta in illa demandata accuratissime debet obsequi et piae animae imaginem in se ipse exprimat et informet necesse est. Totus igitur in suam rem incumbens, vulgaris vitae avocamentis et gaudiis et oblectationibus lubenter abstinere debet. Digna sunt quae huc transferantur verba ex *Serm. ascetico* in Opp. graec. III. p. 41. *ἐγὼ οἶμαι ὅτι καὶ τῷ πάνυ βραχὺν νοῦν ἔχοντι, δῆλον ὅτι δίκαιον καταφανήσεται ταῦτα· ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ἀθλῆσαι καὶ ἀγωνίσασθαι καταδράμεῖν, ὅπως τὴν νίκην εἰς αἰωνας ἄρηται· — — — ἐπὰν γὰρ τοῖς ἔργοις τοῖς ἀγαθοῖς σχολάζει καὶ τοῖς ὑπὸ γραφων λαλεμένοις πράγμασιν ἐγκατατρίβει**) *πάντες λόγοι, ἤτοι γραφὰι, ἤτοι συντάγματα καὶ αὐτῶν τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων βίβλοι περὶ τέτων κεκράγασιν, τἔτον ἐπαινἕντες καὶ τἔτον αὐγἕντες, καὶ πᾶσαι γλῶτται περὶ τέτε καταμαρτύρονται τὸν ἐν τοῖς πράγμασι τῶν γραφῶν τοῖς ἔργοις διατελἕντα· ἐκεῖνός ἐστι παρὰ θεῷ ἀληθὴς φιλόσοφος ὁ πάντοτε ταῖς ἑαυτἕ κακαῖς ἐπιθυμίαις ἀντιτασσόμενος κ. τ. λ.*

---

*) Ed. Rom. male *ἐν κατατρίβει*, quod omni sensu caret.

Haec omnia denique, qui consequutus fuerit, ut rudem populum diligenter instituat et scripturae sacrae intelligentiam, quantum scilicet ferre poterit ei detegat, admonetur. Nimirum ad Amos. VI 6. II 263. F. interpretes, quibus populi institutio non cordi est, vino defaecato comparat sic: „Qui vinum defaecatum bibunt, comparandi sunt iis, qui, interpretationum divinarum copiam quidem consecuti, tamen de populi imperiti interitu non solliciti sunt.“

CAP. II.

Inquiritur in artis hermeneuticae maxime inter Aramaeos et scholarum christianarum quibus Mesopotamia florebat circa Ephraemi tempora conditionem.

12. In prima nostrae disputationis parte breviter exposuimus, quaenam ad S. S. interpretandam Ephraemi nostri adjumenta fuissent eaque nec multa nec magna fuisse cognovimus. Exordio igitur explicato, vestibula honesta aptumque aditum ad ea quae potissimum nunc quaerimus fecisse, vestrumque animum, lectores, ad consideranda ea, quae nunc dicenda sunt, constituisse et idoneum fecisse nobis videmur. Neque tamen ad ipsam caussam, de qua agitur, in eo nimirum positam, ut Ephraemi in libris sacris explanandis rationem ejusque principia generatim explicemus statim descen-

dere licet. Consideratius est enim, separatim ante exponere, qualis inter Ephraemi aequales et praesertim inter Aramaeos quidem hermeneuticae sacrae fuerit habitus et color, nam his rebus cognitis, tum demum facilius et expeditius unuscujuscunque animus ipsam rem a nobis propositam poterit considerare. Deinceps igitur ita rem ulterius persequebimur, ut primum Ephraemi rationem in universo describere, deinde vero, si ad quartum caput transierimus, eam singulis probare conemur.

13. Quoniam igitur nobis est praescriptum, initio eam explanandi rationem inchoare, quam scriptores ecclesiastici Ephraemi tempore amplexi sint: ut ea facilius cognitu videatur magisque patefiat, de Origene, at absolute breviterque tantum, quum res pateat in promtuque sit omnibus, ante praemoneamus oportet. Quod nemo, credo, sine caussa alte repetitum putabit aut mirabitur, quid haec pertineant ad illud quod quaerimus, quia methodus illa, quae fuerit,

accurate perspici et intelligi non potest, nisi sanioris interpretationis, cujus tamquam princeps et inventor exstit Origenes, in mentem ante revocarimus rationem; quam si non ad extremum sed usque eo quo opus erit persequemur, ab eo, quod instituimus exponere, non aberrasse videbimur.

14. Origenes igitur, vir et natura peracutus et doctrina abundans, omnium primus inter carnalem istam literaeque inhaerentem interpretandi rationem, cujus vel ex iis, qui scripturas transtulerint, veluti Aquila, nonnulli aperte convincuntur atque inter sublimiorem purioremque intelligentiam, interjectam quandam interque has mediam viam invenire atque firma solidaque interpretationis principia ponere studuit. Quibus tamen in principiis struendis male jam deliquit iisque accommodandis a se ipse descivit. Ipsius enim in mente insidebat idea quaedam ab Audianorum studio plane distans, sed ad extremum perducta neque satis definita: nimirum nisi ei, cui

ad divinas res percipiendas internus quidam sensus reclusus atque apertus sit, quique revelationis ubique efficacis et vim exserentis profundissimam ideam investigarit atque comprehensam animo habuerit, scripturae sacrae intellectum non concessum esse assequi. Jam vero hanc ideam, acute excogitatam, quam ulterius justo ipse persequeretur, intuens in eaque defixus, quum ad illius similitudinem interpretandi suam rationem dirigere eamque imitatione assequi et exprimere ubique conaretur, omnibus quidem in locis [73]) praeter literalem etiam spiritualem quendam sensum, de quo triplice nunc plura explicare longum est, latere censuit; alibi vero literalem obviumque sensum verbis S. S. omnino non inesse ideoque respuendum arbitratus est. Hanc igitur mere idealisticam et theosophicam

73) Id quod, praeeunte Moshemio contra Rueum omni suo jure, quemadmodum mea quidem fert opinio, contendit V. Cel. C. R. Hagenbach, Basileensis, in Observatt. historico-hermen. circa Origenis Adamantini methodum. (Basil. MDCCCXXIII.) p. 21.

rationem amplexus, qua ea quae experientiae vitaeque humanae arcte circumscriptae fines plane excedunt; indagare atque mundi invisibilis arcana, ab humana mente omnino non comprehendenda, consequi posse autumaret: eo lapsus est, ut a fine sibi proposita prorsus recederet et a verbo revelato, verae nimirum sapientiae fonte, deduceretur et se falsa quadam sapientia oblineret.

15. Etsi hanc quam Origenes ingressus erat, viam coeco quasi ejus studio incensi et flagrantes, plurimi erant, imprimis in Aegypto versati, qui strenue persequerentur atque arbitrariis allegoriis contortisque cogitationibus, quamvis a scripturae sacrae sensu ejusque simplice veritate abhorrerent, male indulgerent: tamen praestantissima ingenia, quae ejus temporis in Oriente viguerunt, veluti Eusebius Caesareensis, Athanasius, Basilius uterque ille Gregorius, quantum detrimenti ab isto studio idealistico caperet pura doctrina christiana necesse esse, probe jam cognaverant. Mode-

dere licet. Consideratius est enim, separatim ante exponere, qualis inter Ephraemi aequales et praesertim inter Aramaeos quidem hermeneuticae sacrae fuerit habitus et color, nam his rebus cognitis, tum demum facilius et expeditius unuscujuscunque animus ipsam rem a nobis propositam poterit considerare. Deinceps igitur ita rem ulterius persequebimur, ut primum Ephraemi rationem in universo describere, deinde vero, si ad quartum caput transierimus, eam singulis probare conemur.

13. Quoniam igitur nobis est praescriptum, initio eam explanandi rationem inchoare, quam scriptores ecclesiastici Ephraemi tempore amplexi sint: ut ea facilius cognitu videatur magisque patefiat, de Origene, at absolute breviterque tantum, quum res pateat in promtuque sit omnibus, ante praemoneamus oportet. Quod nemo, credo, sine caussa alte repetitum putabit aut mirabitur, quid haec pertineant ad illud quod quaerimus, quia methodus illa, quae fuerit,

accurate perspici et intelligi non potest, nisi sanioris interpretationis, cujus tamquam princeps et inventor exstit Origenes, in mentem ante revocarimus rationem; quam si non ad extremum sed usque eo quo opus erit persequemur, ab eo, quod instituimus exponere, non aberrasse videbimur.

14. Origenes igitur, vir et natura peracutus et doctrina abundans, omnium primus inter carnalem istam literaeque inhaerentem interpretandi rationem, cujus vel ex iis, qui scripturas transtulerint, veluti Aquila, nonnulli aperte convincuntur atque inter sublimiorem purioremque intelligentiam, interjectam quandam interque has mediam viam invenire atque firma solidaque interpretationis principia ponere studuit. Quibus tamen in principiis struendis male jam deliquit iisque accommodandis a se ipse descivit. Ipsius enim in mente insidebat idea quaedam ab Audianorum studio plane distans, sed ad extremum perducta neque satis definita: nimirum nisi ei, cui

ad divinas res percipiendas internus quidam sensus reclusus atque apertus sit, quique revelationis ubique efficacis et vim exserentis profundissimam ideam investigarit atque comprehensam animo habuerit, scripturae sacrae intellectum non concessum esse assequi. Jam vero hanc ideam, acute excogitatam, quam ulterius justo ipse persequeretur, intuens in eaque defixus, quum ad illius similitudinem interpretandi suam rationem dirigere eamque imitatione assequi et exprimere ubique conaretur, omnibus quidem in locis [73]) praeter literalem etiam spiritualem quendam sensum, de quo triplice nunc plura explicare longum est, latere censuit; alibi vero literalem obviumque sensum verbis S. S. omnino non inesse ideoque respuendum arbitratus est. Hanc igitur mere idealisticam et theosophicam

73) Id quod, praeeunte Moshemio contra Rueum omni suo jure, quemadmodum mea quidem fert opinio, contendit V. Cel. C. R. Hagenbach, Basileensis, in Observatt. historico-hermen. circa Origenis Adamantini methodum. (Basil. MDCCCXXIII.) p. 21.

rationem amplexus, qua ea quae experientiae vitaeque humanae arcte circumscriptae fines plane excedunt; indagare atque mundi invisibilis arcana, ab humana mente omnino non comprehendenda, consequi posse autumaret: eo lapsus est, ut a fine sibi proposita prorsus recederet et a verbo revelato, verae nimirum sapientiae fonte, deduceretur et se falsa quadam sapientia oblineret.

15. Etsi hanc quam Origenes ingressus erat, viam coeco quasi ejus studio incensi et flagrantes, plurimi erant, imprimis in Aegypto versati, qui strenue persequerentur atque arbitrariis allegoriis contortisque cogitationibus, quamvis a scripturae sacrae sensu ejusque simplice veritate abhorrerent, male indulgerent: tamen praestantissima ingenia, quae ejus temporis in Oriente viguerunt, veluti Eusebius Caesareensis, Athanasius, Basilius uterque ille Gregorius, quantum detrimenti ab isto studio idealistico caperet pura doctrina christiana necesse esse, probe jam cognaverant. Mode-

rati igitur se egerunt, ita quidem, ut liberalius illud ab Origene excitatum studium, quod aeque doctrinae christianae ac literis inserviret, amplecterentur et praeclaras elatasque in scriptis ejus dissitas sententias et cogitationes, in usum suum diligenter converterent: sed tamen longe inde remoti, ut omnia, quae posuisset, tum principia sive theologici sive philosophici argumenti, tum sententias speculativas probarent. Contra vero in scripturis sacris explanandis se a via non removerunt, in qua Origenis primum impressa sunt vestigia. Etenim illius rationem omnes sunt amplexi, quod quidem intelligi possit, quia scripta, ex quibus judicium fieri possit, nonnulli eorum non multa sane reliquerunt. Athanasii nimirum interpretationes a plurimis in malam interpolationis suspicionem sunt vocati atque Basilii, qui pariter ac uterque ille Gregorius oratoribus magis sacris quam interpretibus S. S. omnino annumerandus sit, quos conscripsisse fertur ad Jesaiam et ad Psalmos Commentarii a Garnero spurii haben-

tur prorsusque rejiciuntur. Origenis igitur rationem omnes tenacius retinuerunt, qui, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eadem interpretationis via versati, quum statuerent, historiam saepenumero perniciosam esse si nudis literis inhaereamus adeoque obvii quem fundunt verba, sensus veritatem passim negandam esse.

16. Quo magis est Ephraemus mirabilis, cujus aetas cum in eorum tempora, quos nominavi, incidisset, longissime tamen ipse ab eorum hermeneutica ratione abfuit. Facile enim cogitaris, Ephraemum jam idcirco, ne omnia illa, quae jam ante (§. 9) diximus, nunc iteremus, quia cum duobus illis qui ex clarissima Origenis schola profecti erant, Basilio et minore natu fratre ejus Gregorio amicitia sese devinxerat eosque valde admirabatur, adductum esse, ut eandem interpretandi rationem sequeretur. Certe enim de doctrina hoc constat, qua ab Basilio non multum differt, quod jam aequalibus eorum secundum Gregorii Nys-

seni testimonium est visum, quum apud eosdem, qui Basilium tamquam orthodoxam fidem tenentem agnoscerent, Ephraemum etiam agnitum et celebratum esse dicat [74]. Caussae igitur discrepantiae, de qua agitur, quid fuerit, si quaeris, non recusabo, quominus considerem et exponam. Tota enim quaestio, in qua plusculum negotii est, ex eo pendet qui scholarum quibus Aramaea florebat, fuerit habitus et eruditio, qua soluta novis argumentis comprobatam videbimus illius dicti veritatem, quod docti homines [75]) jam dudum sunt professi, pro diversitate ecclesiarum geographica, diversam etiam internam earum deprehendi conditionem similiterque Orientis ecclesias varias formas protulisse, ita ut variis notis atque signis quamlibet ecclesiarum familiam possis distinguere.

---

74) Gregorius Nyssenus in Encomio Ephr. Syri, in Eph. Opp. Graec. I. p. 3. Ἐφραὶμ, ὁ πάσῃ τῇ ὑφ' ἡλίῳ σχεδὸν γινωσκόμενος, παρὰ τοσούτοις τε ἀγνοούμενος, παρ' ὅσοις ὁ μέγας τῆς ἐκκλησίας φωστὴρ Βασίλειος.

75) Veluti V. S. Ven. Augusti in Dissert. supra jam adhibita: de Hymnis Syr. etc. p. 11.

17. Omnes igitur qui in *Aramaea occidentali* (מַעְרְבָא), quemadmodum *Syria* et *Mesopotamia*, ut discernas eam ab *orientali* (מַדְנְחָא) sive *Chaldaea* et *Assyria* in scriptis syriacis nuncupatur [76]), doctores sunt versati, cum iis qui graecorum disciplinam sequerentur, fecisse initio videntur, quantum scilicet ex iis Ignatii epistolarum, quae genuinae habeantur et ex Theophili, Antiochiae Episcopi qui saeculo secundo inclaruit, scripto, quod *Apologeticus ad Autolycum* inscriptum est, existimari licet. Judaeorum enim interpretandi rationem allegoricam amplectebantur, id quod in iis regionibus, quae scholis hebraeis abundabant, factum esse, sane haud mireris. Sed tempore fiebat, ut artis hermeneuticae foram prorsus mutaretur aliamque faciem indueret omnino, quod generatim inchoare cujusque caussas ante explorare placet, quam singuli cujusque interpretis formam instituamus.

---

76) Veluti ab Barhebraeo in Ethicis apud Assem. B. O. I. 166.

Eo enim tempore, quo Alexandriae speculativum quoddam cogitandi genus omnem scripturae sacrae interpretationem regebat et paene perdebat, in Aramaea occidentali vicinisque ei provinciis jam magna studia fuerunt certique viri docti viguerunt, qui historicae et grammaticae rationi vel literali scripturarum sensu magis addicti, ad eas explanandas artem etiam criticam adhibuerunt. Quam viam ex quo incessisent Syri, nunquam eam reliquerunt, sed tales potius in ea progressus facerent, ut quinti saeculi initio inter omnes antiquos interpretes facile primas ferrent. Tum enim temporis Aramaeae scholarum fama ad Alexandrinorum gloriam proxime accessit, tum omnem Orientem occupavit, vel propter eruditionis et doctrinae copiam, vel propter merita de religione christiana excolenda et tractanda, vel propter practicam theologiae dogmaticae conditionem, ab Origenis, quod persecutus esset, idealistico studio et theosophico plane distantem, vel, quod certe inde ab Concilii Nicaeni tempore accidisse

constat, propter verborum technicorum, quae in rebus dogmaticis usurpantur, accuratiorem delectum et subtilem dilucidamque dogmatum explicationem, denique vero, quod ex modo disputatis sponte jam colligitur, propter meliorem sanioremque scripturae sacrae interpretationem. Itaque in omni Aramaea occidentali una eademque via, quae practica vocari solet, fere omnes incessere et de universa omniumque communi quadam institutione, sive exegeticam sive dogmaticam disciplinam spectaris, augurari licet. Hanc igitur viam persecuti cum Origenis schola certamen inierunt, sed fiebat, ut solet, ut ex doctrinarum sibi oppositarum conflictione, maxima ecclesiae salus progigneretur.

At vero, quoniam res postulat, in fontem ex quo melior illa interpretandi ratio, in qua Aramaei floruerunt, emanasse existimari potest, inquiramus. Tria vero sunt, ut ego quidem sentio, quae illius originem possint monstrare. Est enim primum id omnino verum quod viro perillustri sum-

meque venerando Neandro placuit [77]), Aramaeos etiam ab Origene plurimum petiisse imprimisque ad ejus egregium exemplum liberalius doctumque scripturae sacrae studium coluisse; nam ut semel ex Alexandriae schola Adamantii placita ac praecepta sunt evecta, omnem peragrarunt Orientem. Ex quibus tamen illud, tanti enim viri venia dixerim, quod in nostram incidit disceptationem, non satis fieri perspicuum videtur. Quodquoniam Origenes sobrioris hermeneuticae artis nisi parva initia non posuerat immoque ad pristinam vilemque conditionem prope eam revocaverat, satis intelligi non potest, qui tandem factum sit, ut eodem fere tempore, quo Basilius ejusque aequales, duo illi Gregorii, qui docti ex disciplina Origenis essent, eandem illam rationem retinuerunt, clari inter Syros essent viri, qui huic generi contrarium quoddam persecuti sunt. Namque eamviam in-

77) V. S. V. Aug. Neandri Allgemeine Geschichte der christlichen Religion. T. I. P. 3. p. 1237. T. II. P. 2. p. 748. atque idem vir in libro de Chrysostomo passim.

gressi, qua aliis in terris, multis demum saeculis post, et apud nostros quidem instaurationis fere tempore, interpretes incedere ausi sint, nisi unum sensum ex linguae indole et orationis nexu eruendum scripturae sacrae non inesse existimarunt ideoque id, quod vere est interpretari, efficere studuerunt, ut alter librum scriptoris sacri legens eadem cogitaret, quae ipse scribens cogitasset.

Est vero duplex altera etiam considerandi via, qua utraque haud scio, an caussa de qua ambigitur, aliquanto satius possit explicari. Est autem alterius prima illa quaestio, possitne ex linguarum optima conditione et cognitione ad quaestionem enodandam multum repeti? Altera via, quae paullo latius patet, si progredimur, forte mireris. Neque tamen non rationem, cur incedam, queo reddere. Namque ex veterum, cumprimis graecae ecclesiae patrum testimoniis censuerim, Syros christianos, qui in unum verbalem scripturae sacrae sensum inquirerent, imprimis etiam eo adductos

esse, quod Judaeorum exemplum imitarentur. Quid enim, quod plurimi de interpretibus, qui, etsi duplicem sensum in libris sacris ubique inesse voluerunt, tamen quam plurimos locos, sive ab aliis ad literam omnino intellectos sive ab aliis secundum proximum sensum ad Judaeorum synagogam et sublimiori tantum ratione ad Christum relatos, uno arcano sensu ad Christum retulerunt omnino, quid igitur, quod hi grammaticam illam et historicam scripturae sacrae exponendae rationem appellare *judaicam* solebant? Namque ita ipsum Theodoretum egisse videmus, ubi Theodori Mopsvesteni aliorumque interpretationes, at suppresso nomine castigat, quemadmodum infra, si de ea, qua Ephraemus in Messiam vaticinia interpretatus sit, ratione, sermo erit, exemplis luculentius comprobabimus. Quid igitur? Historicam hanc rationem ex judaica disciplina esse natam eamque, a multis quidem cum spirituali compositam apud Syros, hos a Judaeis sibi esse mutuatos, num minus tibi credibile videtur, quam

illud, quod satis est exploratum, allegoricam illam methodum, primos, ut Graeciae sic Syriae, ecclesiasticos scriptores, a Judaeis sibi comparasse? Equidem vero sic de re sentio. Judaei, primum, ut allegorica illa interpretatione, quam Christiani ab iis ipsis didicerant, se oppugnatos suaque quasi arma, quae illorum manibus ipsi tradiderant, in se conversa viderunt, statim mirum illud suum inventum abrogarunt adeoque eo inciderunt, ut plane contraria consectarentur et ad historicam rationem se conferrent. Hujus quidem interpretationis, quam in carnalem quandam convertissent, forma atque indoles, quam vitiosa et monstrosa tempore evaderet, Rabbinorum commenta luculenter declarant: neque tamen, quamvis genus illud historicum corruptum et deperditum sit a Judaeis, his qui primum se ad illud contulissent, effectum non videtur, ut Syri christiani etiam, a Judaeorum turba circumstipati nec raro propter Allegoriarum studium, quibus dogmuta sua stabilire conarentur, irrisi et taxati, via qui-

dem et ratione, illud excolerent. Jam vero nescio, an Arianae turbulentae rixae contentionesque iis, qui cum Ario facerent, aut certe Homousian abnegarent, ansam praebuerint, literalem recolere scripturae sacrae sensum, quo facilius de adversariis, qui omnibus, quaecunque fuerunt, argumentis, orthodoxam doctrinam defenderent, victoriam reportarent. Omnes enim, id quod infra magis intelligetur, qui solam historicam interpretationem sibi eligerunt, haeretici, sive Ariani, sive Eunomiani, sive Nestoriani aestimati sunt. Quamquam de his interpretibus, quum inter se discrepaverint admodum, paullo accuratius nunc dicemus.

18. Quoniam enim generatim ostendimus, communem quandam omnium Aramaeorum occidentalium initio fuisse institutionem eademque aut tamen sibi simillima principia omnes fuisse consectatos, singulos eorum interpretes, qui, numero quidem paucissimi, aetate praecurrerunt Ephraemum, si placet, consideremus: qua enim dispu-

tatione ad totius hujus instituti sermonis finem propius adducimur. Atque hoc mihi videor videre, discernendum esse, si de Aramaeorum interpretandi ratione quaeritur, inter eos qui in Syria, quae proprie sic dicitur, eosque inter qui in Mesopotamia versabantur. Nam tempore fiebat, ut inter se discederent Aramaei quam maxime, ideoque aliam hic aliam illic vel in rebus exegeticis vel in dogmaticis compertam habemus rationem. Sed de utroque genere id, quodcunque mihi quam simillimum veri videtur, quum interpretum illorum ratio propter testimoniorum penuriam paene in occulto lateat, complectar, brevissime quidem, ut potero, de Syria, uberius, quantum licet, de Mesopotamia disputaturus.

19. Sequitur ergo, ut, quae fuerit Syrorum in libris sacris exponendis, ad Ephraemum usque, ratio, videndum sit [78]).

---

78) Conferre juvabit quae Richardus Simon, Rosenmüllerus et Flüggius, qui tamen, ad extremum dictus, nisi compilatoris partes nihil egit, de hac re in

Quam autem Syrorum diximus rationem, immutato nomine Antiochenam haud inepte appellaveris, quoniam Antiochiae, inter omnes quae Syriae floruerunt, scholae exstiterunt principes. Sin de Antiochena schola theologica, quae, a doctis quidem presbyteris jam diu praeparata, quarto saeculo exorta est, sermo fit, eo sensu id intelligi non debet, quo de Alexandrina dici solitum est; eo enim utraque appellatio differt, quod haec unum et ecclesiastica auctoritate affectum institutum quoddam significat, illa vero singulorum dumtaxat est institutorum, quae a privatis hominibus regebantur, nec Ecclesiae tutamine et auctoritate gaudebat proinde atque ea schola, quae Alexandriae florebat. Syri igitur jam fere inde a Paulo Samosateno, Doro-

---

scriptis satis notis posuerunt. Praeterea adhibeatur F Münteri, beati, Comment. de schola Antiochena. Hafniae 1811; quam, in linguam germanicam redditam, invenies in sertam libro: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte, ed Städlin et Tzschirner. T. I. fasc. 1. p. 1 sqq.; praetere Ernesti Narratio critica de interpretatione prophetiarum Mess. etc. in ej. Opp. theol. Ed. 2. p. 447 sqq.

theo [79]) et Luciano [80]), Antiochiae presbyteris, singularis quaedam scripturae sacrae exponendae ratio, quam historico-grammaticam appellant, tamquam theologiae dogmaticae fundamentum, excolere coeperunt. Saeculo quarto vero viguerunt docti viri, qui allegoricam interpretationem *veram*, hoc est eam, qua praeter sensum literalem etiam alius reconditus et spiritualis sensus, sed a spiritu sancto aut a scriptore jam vere spectatus, sub verborum aliorumque signorum symbolis latere autumatur, respuerunt omnino atque nisi unum sensum ex linguae indole et orationis nexu eruendum libris sacris non inesse, praeclare statuerunt. Hujus vero interpretationis initia posuisse Theodorus, Heracleae Thraciarum episcopus († 538) videtur [81]); minus enim est

79) circ. a. 290. Euseb. H. E. VII. 32, 1.

80) Euseb. H. E. VIII. 13. IX, 6. Hieron. catal. c. 77. Sozomen. H. E. III. 5. ed. Mog. p. 503.

81) Hieronymi Catalog. scriptt. eccl. c. 90: Theodorus Heracliae Thraciarum Episcopus, elegantis apertique sermonis, et magis historicae intelligentiae, edidit sub Con-

probabilis sententia Ernestii [82]), qui Eusebium Emesenum illius methodi auctorem atque principem fuisse censet, quoniam, quamquam inciderat Theodorus in Eusebii aetatem, hoc tamen, in quo Münterum habeo consentientem [83]), paullo natu grandior fuisse videtur. Hujus igitur aetati suppar Eusebius fuit († 360), Emesae episcopus: cujus ex memoria ab Hieronymo facta et ex monumentis a Perillustri Viro Augusti, primum collectis atque editis [84]), intelligi maxime potest, eum generi eidem operam dedisse [85]). Qua de re vero paullo nos certiores facit illud, quod de eo qui Eusebio proximus fuit, de Diodoro Tarsensi († circ. 394) primum Antiochiae

---

stantio Principe Commentarios in Matthaeum et in Joannem, et in Apostolum, et in Psalterium.

82) l. l. p. 449.

83) l. l. p. 13.

84) Eusebii Emeseni quae supersunt Opuscula graeca etc. expressa et adnott. hist. et phil. illustr. a J. C. G. Augusti. Elberfeldi 1829.

85) Augusti l. l. p. 102. sqq. p. 119.

presbytero, tum Tarsis episcopo, cujus nulla exstant scripta, ab Hieronymo memoriae proditum est [86]), eum Eusebii fuisse sectatorem. Etenim quum Diodorum omnes mysticas s. allegoricas interpretationes repudiasse, veri certe est simillimum, quemadmodum statim videbimus, de Eusebio idem illud existimare non dubito. Quod longe tamen Ernestio [87]), quem sequutus est Münterus [88]), videtur secus, qui judicat, Diodorum alios quidem locos, at non valde multos, proprio quidem sensu ad Christum traduxisse, alios vero, quibus sensus quidam typicus a spiritu sancto jam spectatus inesset, mystice tantum ad eum retulisse at vero tamen ad eum pertinere

86) Hieronymi Catalog. c. 119: Diodorus Tarsensis episcopus, dum Antiochiae esset presbyter, magis claruit. Exstant ejus in Apostolum commentarii et multa alia, ad Eusebii magis Emiseni characterem pertinentia: cujus cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit propter ignorantiam saecularium literarum.

87) l. l. p. 453. coll. pp. 451. 452.

88) l. l. p. 15.

putavisse. Utrumque vero effatorum genus Ernestius censet prophetice dictum a Diodoro esse habitum, atque illud genus typicum s. mysticum a Diodoro retentum a discipulis ejus adeo non esse dubitatum, ut in eo usurpando etiam modum excesisse viderentur. — Quodsi quaeritur, quae sint argumenta, quibus fretus suam sententiam a nobis modo patefactam stabilire studuerit vir immortalis Ernestius, haud sane scio, an mecum mireris, quod ad Cosmam Indicopleusten, qui Diodori fuit sectator, provocavit, quoniam ille, quemadmodum existimavit Ernestius, illam, quam diximus, interpretandi rationem esset professus [89]. Verum enim vero etiamsi ex argumentis ab disciputi ratione desumtis de magistro colligi possit: tamen, quod quidem ego ex Cosmae verbis sentiebam, hoc sine ulla dubitatione confirmaverim, Ernestium hic verum non vidisse. Sed quo facilius

89) Cosmas Indicopleustes in Christ. Topographia, lib. V. in Montefalc. Coll. nova Patr. et scr. gr. T. II. p. 227.

res perspiciatur, in istum Cosmae locum curiosius inquiramus. In iis nimirum, quae paullo antecesserant (p. 224), professus erat, quatuor tantum psalmos [90]), de Christo vere et unice vaticinari et de divina quidem et humana ejus natura; quibus psalmis expositis et explanatis pergit his: Ὄυτως οὖν ὁ μακάριος Δαυὶδ τοὺς δὲ τούτους ψαλμοὺς εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν, καὶ μόνον εἶπεν· οὐ γὰρ ἐκοινοποίει τὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μετὰ τῶν δούλων· ἀλλ' ἴδια τὰ τοῦ δεσπότου, ὡς δεσπότου ἐξεῖπεν, καὶ τὰ τιῶν δούλων, ὡς δούλων. Quid igitur? Num facis cum Ernestio, qui Cosmam dicere existimat, nonnullos psalmos unice aperteque ad Christum, alia vere dicta typice vel mystice tantum, sed vere tamen et ex spiritus sancti consilio ad eum esse referenda? Quod si crederes, longissime sane a verborum sensu et a veritate recederes. Namque eos potius, si quid video, reprehendit auctor, qui saepe in uno eodemque orationis tenore, in eodem etiam Psalmo, historicis adspersa esse prophetica, quae ad

90) ps. 2. 8. 44. 109.

Christum solum pertinerent, putaverint, quemadmodum de Basilio, Ephraemo, Theodoreto et Chrysostomo patet, qui a Theodoro Mopsvesteno propterea graviter redarguuntur [91]. Deinceps vero comprobat Apostolorum morem Indicopleustes, quippe qui singulos locos, ex iis psalmis depromtos, qui ad Christum vere non pertineant, tamen ad eum transtulerint. Sed aperte addit, illud ab Apostolis non factum esse, nisi propter rerum et verborum similitudinem quandam et congruentiam neque tamen idcirco, quia singula illa effata ad Christum vere jam ex spiritus sancti consilio pertinere putarent [92]. Censet igitur,

---

91) cf. praeclaram Commentationem de Theodoro Mopsvesteno veteris Testamenti sobrie interpretandi vindice, quam perdocte scripsit Vir S. V., mihi imprimis carus et colendus, Fr. Ludov. Sieffert, in Academia nostra Theologiae Professor, (Regiom. ed. a. MDCCCXXVII) p. 59 et 69 fin.

92) l. l. p. 227: ὅσα δὲ ἕτερα ἐξέλαβον οἱ ἀπόστολοι ἐκ τῶν ψαλμῶν, ȣ̓χ ὡς εἰς ἑαυτὸν κυρίως εἰρημένα ἐξέλαβον, ἀλλ᾽ ὡς ἁρμόζοντα τῇ ὑποθέσει· οἷον· „διεμερίσατο τὰ ἱμάτιά μȣ“ (ps. 21, 9) — — — καὶ ὅσα τȣ́τοις ὅμοια ὤ

totum hoc genus comparatum quidem esse ad usus populi ejusque institutionem, nec tamen esse proprie interpretandi genus, sed accommodationem potius Veteris Testamenti, ad ea illustranda et quasi exornanda quae de Christo proferuntur. Quodsi igitur ex Cosmae verbis, quae aperuimus et ex aliis locis, quibus novae oeconomiae umbras figurasque quaerit, veluti in tabernaculi expositione, de Diodori methodo cum Ernestio judicari licet, hoc dumtaxat largiri potest, eum cum Theodoro Mopsvesteno statuisse, deum, qui omnia moderaretur, salutem etiam per Christum nobis reparandam jam ab initio apud se constitutam, in synagoga vetere tamquam christianae oeconomiae fundamento, praeparasse, ex quo necesse esset, scripturam sacram, quae omnia

ἁρμόζοντα τῇ ὑποθέσει αὐτῶν ἐξέλαβον· οἷον ἐποίησε καὶ ὁ μακάριος Παῦλος τὴν χρῆσιν Μωυσέως τὴν ἐν τῷ Δευτερονομίῳ μεταβαλὼν εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν (Rom. 10, 6. coll. Deut. 30, 12) — — μεταφράσας τὴν χρῆσιν ὡς ἁρμοδίαν εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν. Cum his vero plane conveniunt ea quae professus est Theodorus Mopsvestenus.

ad synagogam spectantia comprehensa haberet, certa etiam Christi indicia sive typos continere, ejusque oeconomiam vel in populi judaici fatis et eventis, vel in scripturae dictis et vaticiniis significari [93]. Denique vero verisimillimum hoc videtur, eum non statuisse, significationes figurasque illas vel a spiritu sancto vel a scriptore esse spectatas, ex quo fieri scilicet debebat, ut libris sacris duplex sensus inesset. Jam vero ex Cosmae interpretandi methodo, quam inchoavimus, si de Diodori ratione, quemadmodum fecit Ernestius, suspicari libuerit, eodem jure de Eusebio, cujus sectator Diodorus dicitur, tuam sententiam ad ea, quae de utroque illo patent, dirigere poteris. Atque idem illud, quod de Diodoro disputavimus, Sozomeni et Socratis testimoniis satis notis [94]), luculentius probatur, qui Diodorum simplicem tantum atque

93) Theodori Mopsvesteni Praef. in Jonam, in: scriptt. vet. Collectione ed. ab Angelo Maji p. 59 sqq.

94) Socrat. H. E. VI, 3. ed. Mogunt. p. 302. Sozom. H. E. VIII, 2. p. 757.

obvium scripturarum sensum statuisse, contra vero omnes allegoricas interpretationes (τὰς θεωρίας, sic enim loquuntur [95]),) prorsus repudiasse, tradunt. Solum Canticum Canticorum, quemadmodum, si a Theodoro Mopsvesteno discesseris, omnes fere veteres interpretes fecere, allegorice explicavit [96]). Diodori autem vestigia post Ephraemi tempora presse secuti sunt, ut verbo moneamus, duo illi praestantissimi viri Theodorus Mopsvestenus ejusque minor natu frater Polychronius, Apameae episcopus, cujus egregia Commentariorum in Danielis librum fragmenta ex Catenis composita primus evulgavit Angelus Majus.

20. Ephraemus igitur fuit ejusdem aetatis fere, qua Theodorus Heracleensis, Eusebius et Diodorus in Syria erant praestan-

95) De hac voce infra uberius exponemus.

96) Theodoretus in Praef. ad CC., in Opp. ep. Schulze T. II. 1. p. 5, si Commentarius est Theodoreti omnino, quod maxime dubitatur, v. Rosenmülleri Hist. Intp. IV. p. 78.

tes et mysticae interpretationi, ab antiquitate et ecclesia orthodoxa quasi sancitae, via ac ratione sese opponebant. Neque tamen laus eadem in Ephraemo sobrie interpretandi fuit, nec esse potuit, quum orthodoxam fidem strenue consectaretur. Namque omnes qui in illa laude erant clarissimi, a Conciliorum fide longissime se removerunt, nec quod iis summo fuit crimini, a nostro non potuit vehementissime respui, qui, si disputationem de divina verbi incarnatione temere ab haereticis investigata instituit, in Arianorum et Eunomianorum, qui ecclesiam oppresserunt, vituperiis saepenumero est acerbissimus. Jam vero Theodorus Heracleensis, Arianorum turbae adscriptus, a Sardicae synodo, postquam ipse ea decessit, consortio ecclesiastico exclusus, munere suo privabatur neque minus Eusebius, Emesae episcopus, a Semiarianorum partibus stabat [97]). Quid, quod omnes illi Syri Nestoriani erroris, qui Ephraemo mor-

97) Augusti l. l. p. 84—86.

tuo demum maximopere vigere incepit, auctores habebantur, ejusque fons, aut a Pauli Samosateni disciplina aut a Luciani schola, ex qua Arius ejusque praestantissimi sectatores prodiissent, deducebatur [98]). Unde etiam fiebat, ut omnium fere eorum, quos paullo ante nominavi, scripta non injuria temporis, sed potius timore et odio vel pietatis studio et praetextu interire passi sint, id quod in caussa haereticorum saepius apud Christianos factum esse constat, ex quo Constantinus M. de comburendis haereticorum scriptis dedisset exemplum.

E contrario autem omnes, qui Ecclesiae fidem retinuerunt, spiritualem S. S. intelli-

---

98) Sic in Simeonis Beth-Arsam epist. de Barsauma Nisibeno apud Assem. B. O. I. 346 sqq.; porroque in Theodoreti hist. eccl. I. 3. ubi ab Alexandro. Alexandriae Episcopo, scripta invenimus haec: *ὃν (Παῦλον τὸν Σαμοσατέα) διαδεξάμενος Λȣκιανὸς ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνȣς· ὧν τῆς ἀσηβείας τὴν τρύγα ἐῤῥοφηκότες — Ἄρειός τε καὶ Ἀχιλλᾶς κ. τ. λ.* — Eusebiani vero in Synodo Antiochiae habita in Luciani scriptum aliquod etiam provocabant, de cujus origine vero dubius est Sozom. H. E. III. 5. ed. Mogunt. p. 503.

gentiam nunquam prorsus abrogarunt. Etenim Concilia orthodoxae fidei invigilarunt, nec tutum erat illis aetatibus, quemadmodum Theodori Mopsvesteni exemplo maxime edocemur, spirituali illa relicta, interpretandi aliam inire rationem et literali solum attendere. Quo accessit, quod interpretatio allegorica, incolumi tamen literali sensu, idcirco etiam servabatur, quia id temporis vel haeretici vel Judaei in disputationibus suis Christianorum dogmatis usque obtrectabant, sive Messiam nondum venisse obvertebant, sive contra Sabathi legisque ceremonialis abrogationem certabant, sive Christianorum de Trinitate, imprimis vero de Christi divina natura placita irridebant. Itaque scriptoribus ecclesiasticis, ut orbjurgationibus istis occurrerent, commodum fuit, omnia per Allegoriam ad Christum et ad Christi ecclesiam contorte referre. Tertium denique, cur illud explanandi genus usque recolebatur, in eo quaerendum est, quod inde scripturae sacrae utilitas abundatior redundare ad populi institutionem visum est.

21. Huic vero allegoricae interpretationi, ecclesiae decretis obsecutae et vicinis Syris oppositae, Mesopotamiae interpretes, ad quos nunc devenimus, se magis accommodarunt. Mesopotamiae autem regiones jam pridem scholis florebant, quibus non modo in literis humanioribus, verum etiam in literis sacris juvenes instituebantur. Claruit, quemadmodum ex Ben-Attabi testimonio, quod deinceps afferemus, perspici potest, Nisibis schola quaedam theologica, sub Jacobi, Nisibis episcopi, auspiciis, qua Ephraemus, juvenis, linguam syriacam docebat. Tum alia satis valuit, de qua Junilii monumentum loquitur, quae, a Syris christianis constituta, seriore tempore ab Africanis etiam frequentabatur [99]).

99) De hac Nisibis schola dignus est, qui audiatur, Junilius, Episcopus Africanus (a. 440), in principio Praef. ad Libb. II. de Partibus divinae legis. (Usus vero sum libro, quo scriptum illud continetur: Schola doctrinae Christianae, in qua compendium theologicum concinnatum est, auct. Christoph. Pelargo. Francof. ad Od. M. DC. III.): „Tu more illo tuo nihil ante quaesisti, quam si quis esset inter graecos, qui divinorum librorum studio intelligentiam-

Tum multum laude processit tertia, quam ex Edessena Persarum schola a. 489 diruta erexit Narses [100]). At omnium maxime excellebant et in Mesopotamia cum primis clari numerabantur scholae Edessenae. Edessae [101]) enim ecclesia, quae inter paganos exstitisse videtur, de orthodoxa sua fide, jam inde ab eo tempore religiose servata,

---

que flagaret. Ad haec ego respondi: vidisse quendam Paulo nomine, Persarum genere, qui in Syroram Schola in Nisibi urbe est edoctus, ubi divina lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis Grammatica et Rhetorica ordine ac regulariter traditur. Tunc diu quaesitus, si quid ex ejus dictis haberem; dixi, quod legissem singulas quasdam, quibus ille discipulorum animos, divinarum Scripturarum superficie instructos, priusquam expositionis profunda patefaceret, solebat imbuere: ut ipsarum interim causarum, quae in divina lege versantur, intentionem ordinemque cognoscerent: ne sparsim et turbulente, sed regulariter singula discerent." —

100) v. Simeonis Beth-Arsamensis epist. apud Assem. B. O. I. 354. init. cf. III. 2. 927.

101) De nomine Edessae perdocte et acute, ut solitus est, disputavit vir beatus Philippus Buttmanus in singulari Commentatione, inserta libro: Mythologus, oder Abhandlungen über die Sagen des Alterthums. T. I. (Berol. 1828) p. 235 sqq.

qua Abgarus, Edessae Toparcha, cum Christo communicavisse fertur literas, quae a Syris quidem sine ulla dubitatione genuinae habitae [102]), tamen a nostris hominibus criticis fere omnibus summo suo jure prorsus refelluntur [103]), maximopere gloriabatur; neque vero ecclesiam Edessenam mature a quodam discipulorum Jesu ad religionem christianam fuisse adductam, non tam improbabile est, quam similes de Apostolorum conversionibus narrationes, quas passim legimus [104]). Constat enim, jam medio saeculi secundi, religionem christianam Edessae fuisse fundatam; tum Bardesanes, doctus christianus, Abgari Bar Maani, Edessae principio, (circ.

102) V. plura testimonia ex scriptt. syr. collecta ap. Wiseman. in Horis Syriacis p. 100. annot. 17. adde Sozom. H. E. VI, 1. init.

103) v. Excursum, quem scripsit Fr. Adolph. Heinichen ad edit. Eusebii H. E. Lips. (MDCCCXXVII) T. 1. p. 77—79.

104) v. Theoph. Sigefr. Bayeri: Historia Osrhoëna et Edessena Petrop. 1734. III. p. 104. 106. 173. 358. — Schröckh Christliche Kirchengeschichte II. p. 34.

160—170) fuit familiaris *) et ex Chronici Edesseni testimonio [105]) perspici potest, templum ecclesiae Edessenae anno 202 p. Chr. in maxima inundatione concidisse. Edessenos vero, jam tertio saeculo Antiochiae Metropolitae subordinatos [106]), post primam conversionem, usque ad suum ipsius tempus, nunquam defecisse, narrat Eusebius [107]), atque religionem christianam inde ab Edessa per regiones occidentem versus sitas propagatam esse, existimari potest. Ex quibus vero omnibus fiebat, ut Edessa, hac tanta laude clarissima, urbs sancta sive benedicta diceretur [108]).

---

*) Assem. B. O. I. 389. not. 5.

105) id. in B. O. I. p. 391. fin.

106) Eusebii chronic. breviatum quod communicavit Angelo Maji in scriptt. vet. nova: coll. T. I. p. 22.

107) H. E. II. c. 1. edit. Heinichen I. p. 94.

108) Sic ab Josua Stylite in Praefat. Chronici ap. Assem. B. O. I. p. 261. 278; porro ab Chronici Edesseni auctore, l. l. p. 417. et ab ipso Ephraemo nostro in Carmine syr. de fine vitae suae in Opp. gr. II. p. 399. A. B. — Similiter etiam scripturae sacrae Syrorum interpretatio orthodoxa et

Hac igitur in urbe plures vigebant scholae [109]), ubi scripturis sacris et patrum in eas commentariis, neque tamen humaniorum literarum studio prorsus neglecto, sive a clericis, sive a laicis, sive a monachis opera navabatur. Laete enim florebat Ephraemi tempore ea schola, in qua christiani Persarum regi subditi literis vacabant, quae tamen, quum Nestorii haeresi esset contaminata [110]), sub Zenone imperatore

ecclesiastica, quae Edessae orta esse videtur (v. Wiseman l. l. p. 118), in Cod. Vatic. quo textus Karkaphensis continetur, quem nuperrime descripsit vir doctus Wiseman, usque cognomine טוּבְנָא h. e. *beatae* vel *sanctae*, *orthodoxae* insignitur. v. Wiseman l. l. p. 158 annot. 14.

109) Ut Patriarchae, Metropolitani, Episcopi, Chorepiscopi aliorumque ecclesiae officiorum nomina a graecis mutuabantur Syri: ita et locus ubi liberalibus studiis opera datur, penes eosdem ex graeca voce *σχολή* nominatur אֶסכּוּלָא et qui literis otium impendunt dicuntur: אֶסכּוּלָיֵא vel אֶסכּוּלַסטִיקָא *scholares* v. *scholastici*. Habent quidem proprias voces ut בֵּית רַבָּנָא Ephr. III. 203. בֵּית סִפְרָא s. בֵּית יוּלפָנָא s. מַדְרְשְׁתָא s. בֵּית דְרוּשָׁא etc. sed malunt graecas usurpare, quas antiquitas commendavit. v. Assem. B. O. III. 2. 919.

110) v. Epist. Simeonis Beth-Arsam ap. Assem. I. 203. 204. 351. annot. 2. cf. Collectanea ex Historia ecclesiastica

anno 489, ab Orthodoxis funditus est eversa [111]). Tum qui relicui essent, in Persiam fugerunt [112]). Sed ab hac Persarum schola aliae quae Syrorum fuerunt, probe discerni debent [113]), in quibus multis annis ante Ephraemum jam scripturis sacris otium coeptum est mandari et christianis aeque

---

Theodori Lectoris Lib. II. in: Magna Bibl. Vet. Patr. ed. Paris. T. VII. p. 629: „In civitate Edessa locus quidam doctrinae erat Persicae, ut ajunt, cholae, unde Persas Nestorianam opinionem contraxisse puto; quod nonnulli Nestorio adhaerentes et loco Theodorii praesidentes, dogmata sua quibus delectabantur Persis tradiderunt.

111) Chron. Edess. ad ann. 489 p. Ch. ap. Assem. l. l. I. 406. coll. II. 402. III. 1. p. 226. annot. 8. p. 376. III. 2. p. 69. 70. 926. — Theodorus Lector l. l. p. 633: „Zenon Imperator scholam Edessenam, quam Persicam vocabant, tamquam quae Nestorii ac Theodori doctrinam traderet, subvertit et abrogavit.

112) Epist. S. Beth-Arsam. l. l. I. 353.

113) Assem. l. l. I. 204: „Hae quidem (Syrorum scholae) in vicinarum civitatum commodum institutae fuerant, in quibus Christiani cum gentilibus Syriacam linguam promiscue docebantur. Schola vero Persica Christianae gentis dumtaxat erat, ejusque ex Persarum ditione: Sacras praeterea literas ibidem juvenes Persae docebantur, ut ex Theodoro (Lectore) colligitur."

ac gentilibus patuerunt [114]). Namque his in scholis jam doctus fuit Lucianus, presbyter et martyr [115]) atque ex eadem disciplina prodiit Eusebius Emesenus, in interpretatione scripturae sacrae et in literis humanioribus ibi primum institutus [116]). Quibus vero cum

---

114) Auctor Vitae S. Alexandri Acoemetae in AA. SS. ad diem 15. Jan. p. 1023 de scholis sub Rabula Edessae episcopo florentibus haec tradit: „Erectae in ea urbe sunt jam olim divino nutu linguae syriacae scholae in vicinarum civitatum commodum. Nam viri principes atque alii locupletes liberos suos eo institutionis gratia ablegant. Sacrum igitur principatum adeptus Rabulas studuit, cooperante spiritu sancto, omnes in veram et stabilem fidem adunare..... Exteros gentilium bis in mensem e schola ad se evocabat eosque verbum veritatis docebat. Ac suscepto sancti spiritus signaculo, eoque pacto maximum consecuti emolumentum, in patriam revertebantur et successu temporis bonis assueti moribus, eosdem liberis suis in hoc usque tempus inserunt.“

115) v. Luciani Presbyteri vita cp. I. in AA. SS. ad diem 17 Jan., ubi dicitur Lucianus praeceptorem habuisse Macarium, qui sacras scripturas Edessae interpretabatur. Lucianus vero a Sozomeno (H. E. III. 5. ed. Mog. p. 503) dicitur: *τὰς ἱερὰς γραφὰς εἰς ἄκρον ἠκριβωκότος*. cf. Assem. l. l. I. Prolog. p. 3. coll. p. 204.

116) Socrat. H. E. II. c. 9. edit. Mog. p. 85: *Φησὶ (Γεώργιος ὁ Λαοδικείας) ἐν τῷ εἰς αὐτὸν πεπονημένῳ βιβλίῳ,*

intuemus, maxime nobis occurrit et quasi lucet ea schola, quam Ephraemus noster constituit [117]), quum, magistro suo Jacobo, Nisibis episcopo, anno 338 ad superos evocato, scholaque Nisibena a Persis excisa, Edessam se contulisset. Eo vero tempore ibi est versatus, quo docti et orthodoxae fidei laude insignes Episcopi Edessae eccle-

---

ὡς εἴη Εὐσέβιος — — ἐκ νέας τε ἡλικίας τὰ ἱερὰ μαθὼν γράμματα· εἶτα τὰ ἑλλήνων παιδευθεὶς παρὰ τῷ τηνικαῦτα τῇ Ἐδέσῃ ἐπιδημήσαντι παιδευτῇ, τέλος ὑπὸ Πατροφίλȣ καὶ Εὐσεβίȣ (τȣ̃ μὲν ἐν Καισαρείᾳ) τὰ ἱερὰ ἡρμηνεύθη βιβλία. Sozomeno autem suffragatur Socrates in H. E. III. 6. ed. Mog. c. VI. (Εὐσέβιος) ἐκ νέȣ δὲ κατὰ πάτριον ἔθος τȣ̀ς ἱερȣ̀ς ἐκμαθὼν λόγȣς, μετὰ ταῦτα καὶ τὰ παρ᾽ ἕλλησιν ἐξεδιδάχθη παιδεύματα, διδασκάλοις τοῖς ἐνθάδε τότε ȣ̓̃σι φοιτήσας· ὕστερον δὲ ἐξηγηταῖς — — τὰς θείας βίβλȣς ἠκρίβωσε. — Τὰ Ἑλληνικὰ vero ex usu loquendi, imprimis saec. III et IV latius patente, nisi literas humaniores omnino non significare satis notum est. cf. Augusti l. l. p. 66 Ann. ††.) Ceterum cur uterque locus integer hic sit transcriptus infra patebit.

117) Quemadmodum tradit Ben-Attib, Araps, ap. Assem. l. l. III. P. 2. p. 924 §. 11: „Jacobus sanctum Ephraemum Nisibi constituit Syriacae linguae magistrum quumque Persae illuc invasissent, Edessam petiit. Ephraemus ibique mansit omnibus diebus vitae suae, Scholamque erexit, quae post eum duravit.

siam rexerunt, Aitallahas [118]), qui in Saadae locum anno 324 subrogatus fuerat [119]), tum qui eum anno 361 excepit Abrahamus Chidunensis [120]), cujus vitam Ephraemus descripsit, tum Barses, anno 378 vita defunctus [121]), quem anno 361 Constantius imperator, antequam mense Novembri Mopsvestiae obiisset, ex Haranitarum sede episcopali in locum defuncti Abrahami Edessam transtulit [122]). His autem viris amicitia cum esset devinctus, fieri non potuit, quin nova schola mox quammaxime floreret. Atque adeo, quamvis dira illa persecutio, a Sapore, Persarum rege, fere inde ab anno Ch. 330 ad a. 370 usque, quo interiit, in Ecclesiam mota [123]), Edessae etiam crudeliter saeviret plurimique Edessenorum martyres occumberent,

118) Assem. l. l. I. 395 sqq.

119) id. l. l. III. 2. 51.

120) id. I. 38. 396.

121) Chron. Edess. ap. Assem. l. l. I. 398. XXXII.

122) Assem. l. l. III. 2. p. 55.

123) id. l. l. III. 2. p. 51 sqq.

quorum certamina describuntur a Sozomeno [124]), tamen incolumis perseveravit. Jam vero studiorum et imprimis *Theologiae* (מַמַּלְלוּת אֲלָהוּתָא, Assem. II. 170. 3) methodus in Ephraemi schola instituta, quae et qualis antiquo more fuerit, ex iis suspicari possumus, quae de aliis hujus generis institutis constant. Hanc enim methodum omnes tum Orientis tum Occidentis scholae tenuisse videntur, ut literae humaniores scripturarum sacrarum interpretationi atque Commentariorum a veteribus auctoribus conscriptorum lectioni sociarentur, ita quidem, ut juvenes primum ad Scripturae lectionem adducerentur, at certo quodam ordine quem Hieronymus in Epistola ad Laetam de institutione infantulae [125]) nobis descripsit, ubi ei praecipit, ut Psalterium primo filium ediscendum curet, tum ad libros Salomonis et Jobi procedat, denique ad Evangelia:

---

124) H. E. lib. II. a cap. 9 ad c. 15 usque. Istum deplorabilem ecclesiae statum descriptum legimus apud Ephr. in Serm. 3. de fide III. 206. F. — 208.

125) in edit. Martianay. T. IV.

inde ad Acta et ad Epistolas Apostolorum: mox ad Prophetas, ad Pentateuchum, ad ceteros dein Scripturae libros, quibus perlectis tuto possit ad CC. accedere: sanctorum denique patrum opuscula volutet teratque. Deinde vero, quemadmodum ex Eusebii Emeseni exemplo in aprico est, quum juvenes in literis sacris satis essent educati, teste Sozomeno et Socrate, disciplinis humanioris literaturae in Edessenis scholis instituebantur, sicuti etiam in schola Alexandrina Origenes [126], discipulos acutioris ingenii ad Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens et Arithmeticam aliasque praevias disciplinas: inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens. Denique vero, quemadmodum Eusebio Emeseno per Eusebium Pamphilium et Patrophilum, Scythopolis episcopum, contigisse supra legimus, scripturae sacrae libros exquisitius et doctiore studio perdidicerunt. Haec autem Ephraemi schola sub ecclesiae

126) Eusebius in H. E. VI. 18.

auctoritate floruisse non videtur; multo scilicet est verisimilius, eam, quemadmodum de Antiochena constat, ex privato studio tantum constitutam esse et servatam. Utriusque enim generis instituta in veteris ecclesiae historia occurrunt, ex more, ut videtur, Judaeorum, quo scilicet, quicunque aut doctrina clarus, aut sacra inauguratione et ordinatione initiatus erat, sive Presbyter erat sive Diaconus sive alius generis Clericus, adeoque ipsi Laici ex Episcoporum venia, doctoris officio et munere fungebantur. Ephraemus autem scholam suam non ad mortem usque moderabatur, sed quum aetate multum provectus esset, in montium secessum se recepit et in monasterii solitudinem se abdidit [127]). Haec autem schola quasi officina novae S. S. interpretandi rationis habere potest, in qua primum inter Aramaeos Commentariorum auctor [128]) se

---

127) Auctor syr. in vitae Ephr. fine et Thomas Margensis in historia monastica apud Assem. B. O. III. 2. p. 57.

128) Wisemann in Horis syr. p. 137 sqq. contendit, quae nobis supersunt de Ephraemi interpretationibus,

extulit Ephraemus, quum ante eum de scriptis exegeticis syriace exaratis litera nulla esset, longeque omnium, quicunque in Mesopotamia interpretationes scripsere, exstitit et gravitate princeps noster [129]); qua in schola docuit alios, qui in scribendo excelluerunt et eadem via progressi praestiterunt. Atque hoc institutum, teste Ben-

---

excerpta potius ex ejus libris quam ipsos libros esse. „Hoc quidem ego puto," inquit, „nec improbabile fortasse videbitur iis quos non latet, libros hosce ex Catena, ut vocant, transcriptos editosque fuisse [Assem. B. O. I. 63.] In qua mea sententia hoc me maxime tenet, quod viderim Syros loca citare ex Ephraemi Commentariis et quidem loca quae in verba Syriaca ut obscura commentatur, quae tamen ejus operibus invenire per me non licet." — Neque vero equidem sententiae, quam posuit vir doctus, calculum adjicere eo minus dubitaverim, quo mirabilius etiam videri debet, quod Ephraemus aliquando integris etiam capitibus in quibus multum est negotii, ne manum quidem apponat. Sic, teste Fabricio in Cod. Ps. V. T. II. 243, apud Jo. Gregorium in Observtt. sacris c. 25 (Tom. IX. Critic. Sacr. Angl.) ex Catena arabica MS. in Genesin, Ephraemianae cujusdam interpretationis fit memoria, quae in Ephraemi Opp. editis certe desideratur.

129) Ἐφραΐμ ὁ θαυμάσιος, συγγραφεὺς δὲ οὗτος ἄριστος παρὰ Σύροις ἐγένετο. Theodoret. H. E. II. 30. coll. IV. 29.

Attibo, post mortem Ephraemi etiam mansit fidemque catholicae ecclesiae, Antiochena schola in Nestorianis et Eutychianis turbationibus jam eversa Persarumque christianorum Edessena schola dispulsa, strenue servavit. Vix tres quidem menses intercesserant ab Ephraemi morte, quum Ariani et Eunomiani, qui jam eo vivente ecclesiam turbare coeperant et in ipsam urbem Edessam jam irruperant, Edessenos orthodoxos una cum Barse, Edessae Episcopo, sub Valente imperatore ab ecclesiis expulerunt [130]; jam post hanc aetatem aliquot annis, quum Valente Arianorum fautore extincto, Orthodoxi die 27 Decembris anni 378 Edessenam Ecclesiam recuperassent [131], a fide orthodoxa deficientes, Nestorianam sectam plurimi quidem, interque eos imprimis etiam Ibas episcopus (435—457) aliique Jacobiticam amplexi sunt atque in Persarum, sub eorum rege Chosroë, natu minore

130) Assem. l. l. I. 54. ann. p. 98. VI. III. 2. p. 57

131) id. l. l. III. 2. 57.

potestatem venerunt [132]); omnis quidem Aramaea post tertiam sive Ephesinam (431) et quartam, sive Chalcedonensem Synodum oecomenicam (451), in factiones divisa adeoque lacerata fuit, atque Jacobitae, hoc est ecclesia menophysitica, quippe qui concilium Chalcedonense respuerent, Nestorianis oppugnabant, uterque vero Orthodoxis opponebant sese: sed tamen post exortam illam atque late circumfusam, Menophysitarum imprimis, haeresin, in Mesopotamia episcoporum et doctorum maxima exstitit copia, qui orthodoxam fidem acriter retinuerunt. Atque in hoc ipso numero discipuli Ephraemi fere omnes exorti sunt, in eoque omnes praestantissimi Mesopotamiae interpretes, ut ex fragmentis, ab Assemani decerptis, potest perspici, Ephraemi exemplum imitati, historice simul et mystice scripturas sacras explicantes, reperiuntur. Laude tamen prae ceteris insignes, quibus Aramaei et quicunque apud eos exquisitioris doctrinae

---

132) id. l. l. I. p. 262.

erant studiosi, imprimis etiam propter eloquentiae, quae iis erat, vim, maximopere gloriarentur, ab Auctore Syro vitae Ephraemianae et Sozomeno [133]) colebrantur Abbas, Zenobius, Ecclesiae Edessenae diaconus [134]), Isaakus, qui Commentarios conscripsit [135]), Maran, Simeon et Abraham [136]). Nonnulli ex auditorum quidem frequentia, in illis turbulentis temporibus a recto fidei tramite recesserunt, quales sunt, teste Sozomeno, Paulonas s. Paulus et Aranad, quorum uterque in dicendo fuit praeclarus, quibus Valesius Apollinem quendam etiam accenset. Tum vero, ab Ephraemi discipulis edocti, magistri interpretandi et scriptores

---

133) Hist. Eccl. III. 16: *λέγεται — — καὶ μαθητὰς ἐσχηκέναι πολλὺς (Ἐφραὶμ), σπυδῇ τὴν αὐτῦ παίδευσιν ζηλώσαντας· ἐπισιμοτάτος δὲ Ἀββᾶν καὶ Ζηνόβιον, Ἀβραάμ τε καὶ Μαρᾶν καὶ Συμεῶνα· ἐφ᾽ οἷς μέγαλαυχῦσιν οἱ Σύρων παῖδες, καὶ ὕσοι τὴν παρ᾽ αὐτοῖς παιδείαν ἠκρίβωσαν.*

134) Assem. l. l. I. 168. cf. Valesii annot. ad Sozomen. l. l. in edit. Mogunt. p. 119.

135) Assem. l. l. I. p. 165.

136) id. I. 38. 463.

multi tempore viguerunt eandemque spiritualem explanantionem cum historica conjunctam persecuti sunt: tum Isaacus Magnus († 460), Zenobii, qui Ephraemum audierat, discipulus et Antiochiae presbyter [137]), qui idem videtur ille cujus Hieronymus meminit [138]), in honore magno fuit; tum Jacobus Sarugensis, circa annum 503 claruit [139]); tum Jacobus, Edessae Episcopus saeculo septimo exeunte floruit [140]) et cognomine interpretis librorum sacrorum prae ceteris ornatus, eadem interpretandi via est progressus; quemadmodum ex fragmentis Ephraemi Commentariis insertis, satis apparet; eodemque in genere sunt habiti alii quamplurimi, qui proximis saeculis in Mesopotamia orthodoxi interpretes insecuti sunt quorumque explanandi ratio Ephraemi, quas praeceperat, adstricta fuit legibus.

---

137) Assem. l. l. I. 122 no. 19. p. 231. no. 67.

138) Catalog. Scriptt. eccl. c. 26.

139) Assem. l. l. I. 283. 290 VII.

140) id. l. l. I. 470.

CAP. III.

Ephraemi Syri de S. S. attributis placita ejusque explanandi ratio et principia in universa exponuntur.

22. Quoniam in superioribus quae artis hermeneuticae et scholarum fuerit in Aramaea illis aetatibus conditio, distinctius diximus, nunc ad interpretem, quem volumus, inchoandum accuratiusque informandum, nobis transeundum est. Atque ita institutum ordinem ulterius persequamur, ut primum doceamus, cujusmodi fuerint de scripturae sacrae consensu et affectionibus, quas dicunt, sive attributis ejusque lectione Ephraemi placita; deinde, ut in libris sacris explanandis ejus rationem et principia generatim explicemus; postea vero ut ad extremum, si illa ordine, quem res postulat

dixerimus, vobis id, quod de postrema illa questione relicuum est singulis probari, in quarta disputationis parte persolvamus.

23. Quaeremus ergo, quoniam id primum erat, quid Ephraemus de scripturis sacris censuerit et principio quidem quae fuerit sententia ejus *de concordia utriusque et praestantia novi Testamenti.* Est autem finis ejus, contra Antinomiorum, cumprimis Marcionitarum, quos id temporis in omni Syria quidem frequentissimos fuisse patet, separationis legis et Evangelii commentum[141]), inde ortum, quod deum utriusque foederis prorsus a se differre ideoque utriusque dei oeconomiam prorsus diversam conciliari non posse, temere statuerent, utique data occasione Testamentorum consensum cognationemque evincere et argumentis demonstra-

141) Singularem de legis et Evangelii, quam voluit, separatione librum, Antitheses cognominatum, edidit Marcion, quem descripsit V. S. V. Aug. Hahn: Antitheses Marcionis Gnostici liber deperditus, nunc quoad ejus fieri potuit, restitutus, Regiom. Boruss. MDCCCXXIII. 8.

re [142]). Utrumque igitur, quippe quod *unum corpus veritatis perficiat* [143]), ecclesiam orthodoxam fide sequi necesse esse censet [144]). Argumentorum autem, unde utriusque scripturae concordiam contra adversarios comprobat, quatuor sunt genera. Primum enim declarat, unum in utroque testamento praedicari deum et explodit Marcionis sententiam, qua synagogae deus tantum-

---

142) Cujus Marcion convictus est erroris, praeter scriptores, quos jam nominavit Hahn in libro: Das Evangelium Marcion's in seiner ursprünglichen Gestalt (Königsb. 1823) p. 12 sqq., gravissimi censores etiam exstiterunt Prudentius, circ. a. 413; (v. Henrici Middeldorpf V. S. V., avunculi mihique amicitiae vinculis intime devincti: Comment. de Prudentio et Theologia Prudentiana. P. I. Vratislav. MDCCCXXIII. p. 15. 20. 21.) et praeterea Isidorus Pelusiota, † post a. 434; cf. Herm. Ag. Niemeyeri V. S. V. de Isidori Pelusiotae vita, scriptis et doctrina Comm. hist.-theol. Halae MDCCCXXV. p. 150.

143) adv. haeres. hymn. 2. II. 442. C.: *Viderunt filii erroris utrumque testamentum commixtum et coagmentum in* (unum) *corpus veritatis.*

144) ib. segm. B: *Est in ecclesia perfecta veritas eamque perficit* (h. e. perfectam tradit). *Ecclesia veracium* (שְׁרִירָא i. e. credentium, τῶν ὀρθοδόξων) *magna est et amplus sinus ejus; capit plenitudinem utriusque testamenti.*

modo justus sive demiurgus, at vero ille, qui se Christo suo revelasset, nisi revelationis ratione quidem non ab eo diversus, tamquam bonus et perfectus putabatur. Itaque ostendit, unum tantum esse qui et perfectus et bonus et justus haberi possit [145]), uniusque consilii providentiaeque Dei, rebus humanis prospicientis, vestigia in vetere novoque Testamento pie agnoscit [146]). Eorum deinde objurgationes, qui autument, plurima quae Deo prorsus indigna sint, in vetere Testamento contineri, ut refellat, asserit,

---

145) In hymn. 37 ubi Marcionis opinionem de veteris Testamenti imperfecto deo, quem peregrinum vocat Ephraemus, acerbe taxat, his ipsis verbis est loquens (II. 524. E): *Unus bonus est, justus etiam. In tua, domine, bonitate et justitia adumbrata est pulchritudo perfectissimae tuae naturae.* Paullo ante autem (segm. D) dixit: *benedictus sit, qui perfectus est in sua natura.*

146) Extremo hymn. 24. II. 495. A: *Qui curam gessit arcae* (h. e. Noachi navigio, כְּוִילָא), *ipse ille aedificavit templum populi. Qui omnia haec molitus est, constituit ecclesiam sanctam. Qui ordinat propagationes rerum naturalium et creaturarum, idem moderatus est propagationes* (h. e. successiones) *prophetarum atque Apostolorum: Ab aeterno in aeternum benedictus sit qui incepit et perficit.*

deum ut infirmitati nostrae succurreret, se nobis accommodasse nostramque imaginem assumsisse, quippe quum divina natura nisi assumta specie descendere non possit; at vero quam longissime delirare, qui divinam naturam aliam esse somniet, quam omnis materiae expertem simplicissimaeque substantiae [147]. Quum vero natura humana di-

147) Huc pertinent hymni adv. haer. 20. 30. 33. 34. adv. Scrut. 27. 31. 33. aliique plurimi. In Commentariis etiam istam adversariorum opinionem castigat, veluti I. 20 D. coll. p. 139 B. C. p. 50 D. 362 C. D. Haud tenenda quidem est omnis hujus generis exemplorum vis, neque tamen nonnulla, quibus res possit esse dilucidior, negligenda sunt. In hymn. adv. haer. 34. II. p. 516. E. sic loquitur: *Non potest summa natura, nisi symbolis minui et descendere. Ille etiam peregrinus* (ut loquuntur), *vide fili, ut imagines nostras expetierit et induerit. Sin nostras fert imagines, non potuit esse peregrinus. Persuadent enim ipsae illae imagines, se unius esse et ab uno et per unum.* — h. 33. p. 514. A-D: *Respuit reprehensiones ipsas* (עוּלָלָא I. 67. E. = עֲדלִיָא I. 167. A. 412 B.) *peccati, quibus auxilia justitiae nobis largiretur. Sprevit nimirum omnem accusationem. Modo ne justitia ejus ipsum eum accusaret, declaravit, non cessasse* (אֲמְלאן, sic rescrib. pro: אֻמְלאן) *potestatem suam ab auxilio nobis ferendo; manifestavit, non invidisse caritatem suam gloriae nostrae; edocuit, non pertimuisse calumniam* (גוּבְרָא, nimirum adversariorum), *quin accederet auxilio. Sin qua via*

vinam illam naturam neque assequi nec ferre queat, spiritum sanctum etiam per

---

(פירְשָׁא) *relicta fuisset, qua adjuvare potuisset nec voluisset ea accedere creator noster: caussa fuisset injuria ejus* (עצְתֵּה pr. oppressio ejus) *vel quod humilis erat vel quod timebat, vel quod invidebat, vel quod infirmus erat. Quicunque enim non accedit auxilio afflictis* (et) *perditis, qui rogent, vel invidus est, vel timidus vel moleste fert. Quum scitum esset, ab infirmitatibus naturam immutabilem esse remotam, ideo non veritus est, induere poenitentiam cordis; ideo non erubuit, invidiosi similem esse; ideo eum non puduit* (כרַז), *aut somnum capere aut victimam postulare. Nullam viam neglexit, quin libertati dominatrici* (h. e. libero arbitrio) *opitularetur. Itaque calumniator* Marcion) *profitebitur stultitiam suam atque misericors* (deus) *declarabit bonitatem suam.* — Adv. Scrut. 31. III. 55—57: *Celebremus eum qui induit membrorum nomina, qui aures se habere dixit, quo intelligeremus, eum nos audire; qui oculos sibi accommodavit, quo sciremus, eum nos intueri. Sed nomina tantummodo rerum induit. Quamquam enim nihil erat in natura ejus irae aut poenitentiae cordis, tamen earum nomina induit, propter infirmitatem nostram. Cognitum habemus, nisi induisset nomina illarum rerum, cum nostra humana eum loqui non potuisse. Per nostra ad nos accessit; nomina induit nostra, ut sua nos indueremus. Etenim quum ipse speciem nostram quaereret et indueret, etiam patris instar cum filiis suis locutus est cum pueritia nostra. Nimirum formam suam absconditam induit et non induit, dimisit eam et non dimisit eam, quumque indutus esset, nudus exstitit. Induit eam in commodum* (*nostrum*) *et dimisit eam per mutationem* בְּשׁוּחלָּפָא quasi vestem mutatoriam.) *Quodquum vel dimitteret*

re [142]). Utrumque igitur, quippe quod *unum corpus veritatis perficiat* [143]), ecclesiam orthodoxam fide sequi necesse esse censet [144]). Argumentorum autem, unde utriusque scripturae concordiam contra adversarios comprobat, quatuor sunt genera. Primum enim declarat, unum in utroque testamento praedicari deum et explodit Marcionis sententiam, qua synagogae deus tantum-

142) Cujus Marcion convictus est erroris, praeter scriptores, quos jam nominavit Hahn in libro: Das Evangelium Marcion's in seiner ursprünglichen Gestalt (Königsb. 1823) p. 12 sqq., gravissimi censores etiam exstiterunt Prudentius, circ. a. 413; (v. Henrici Middeldorpf V. S. V., avunculi mihique amicitiae vinculis intime devincti: Comment. de Prudentio et Theologia Prudentiana. P. I. Vratislav. MDCCCXXIII. p. 15. 20. 21.) et praeterea Isidorus Pelusiota, † post a. 434; cf. Herm. Ag. Niemeyeri V. S. V. de Isidori Pelusiotae vita, scriptis et doctrina Comm. hist.-theol. Halae MDCCCXXV. p. 150.

143) adv. haeres. hymn. 2. II. 442. C.: *Viderunt filii erroris utrumque testamentum commixtum et coagmentum in* (unum) *corpus veritatis.*

144) ib. segm. B: *Est in ecclesia perfecta veritas eamque perficit* (h. e. perfectam tradit). *Ecclesia veracium* (שַׁרִירָא i. e. credentium, *τῶν ὀρθοδόξων*) *magna est et amplus sinus ejus; capit plenitudinem utriusque testamenti.*

modo justus sive demiurgus, at vero ille, qui se Christo suo revelasset, nisi revelationis ratione quidem non ab eo diversus, tamquam bonus et perfectus putabatur. Itaque ostendit, unum tantum esse qui et perfectus et bonus et justus haberi possit [145]), uniusque consilii providentiaeque Dei, rebus humanis prospicientis, vestigia in vetere novoque Testamento pie agnoscit [146]). Eorum deinde objurgationes, qui autument, plurima quae Deo prorsus indigna sint, in vetere Testamento contineri, ut refellat, asserit,

145) In hymn. 37 ubi Marcionis opinionem de veteris Testamenti imperfecto deo, quem peregrinum vocat Ephraemus, acerbe taxat, his ipsis verbis est loquens (II. 524. E): *Unus bonus est, justus etiam. In tua, domine, bonitate et justitia adumbrata est pulchritudo perfectissimae tuae naturae.* Paullo ante autem (segm. D) dixit: *benedictus sit, qui perfectus est in sua natura.*

146) Extremo hymn. 24. II. 495. A: *Qui curam gessit arcae* (h. e. Noachi navigio, כְּוִילָא), *ipse ille aedificavit templum populi. Qui omnia haec molitus est, constituit ecclesiam sanctam. Qui ordinat propagationes rerum naturalium et creaturarum, idem moderatus est propagationes* (h. e. successiones) *prophetarum atque Apostolorum: Ab aeterno in aeternum benedictus sit qui incepit et perficit.*

deum ut infirmitati nostrae succurreret, se nobis accommodasse nostramque imaginem assumsisse, quippe quum divina natura nisi assumta specie descendere non possit; at vero quam longissime delirare, qui divinam naturam aliam esse somniet, quam omnis materiae expertem simplicissimaeque substantiae [147]). Quum vero natura humana di-

---

147) Huc pertinent hymni adv. haer. 20. 30. 33. 34. adv. Scrut. 27. 31. 33. aliique plurimi. In Commentariis etiam istam adversariorum opinionem castigat, veluti I. 20 D. coll. p. 139 B. C. p. 50 D. 362 C. D. Haud tenenda quidem est omnis hujus generis exemplorum vis, neque tamen nonnulla, quibus res possit esse dilucidior, negligenda sunt. In hymn. adv. haer. 34. II. p. 516. E. sic loquitur: *Non potest summa natura, nisi symbolis minui et descendere. Ille etiam peregrinus* (ut loquuntur), *vide fili, ut imagines nostras expetierit et induerit. Sin nostras fert imagines, non potuit esse peregrinus. Persuadent enim ipsae illae imagines, te unius esse et ab uno et per unum.* — h. 33. p. 514. A-D: *Respuit reprehensiones ipsas* (עוּדלָּא I. 67. E. = עֲדלָיָא I. 167. A. 412 B.) *peccati, quibus auxilia justitiae nobis largiretur. Sprevit nimirum omnem accusationem. Modo ne justitia ejus ipsum eum accusaret, declaravit, non cessasse* (אֲמְבָאן, sic rescrib. pro: אֲמְבָאן) *potestatem suam ab auxilio nobis ferendo; manifestavit, non invidisse caritatem suam gloriae nostrae; edocuit, non pertimuisse calumniam* (גוּלָבָא, nimirum adversariorum), *quin accederet auxilio. Sin qua via*

vinam illam naturam neque assequi nec ferre queat, spiritum sanctum etiam per

---

(פּוּרְשָׁא) *relicta fuisset, qua adjuvare potuisset nec voluisset ea accedere creator noster: caussa fuisset injuria ejus* (עָצְתֵהּ pr. oppressio ejus) *vel quod humilis erat vel quod timebat, vel quod invidebat, vel quod infirmus erat. Quicunque enim non accedit auxilio afflictis* (et) *perditis, qui rogent, vel invidus est, vel timidus vel moleste fert. Quum scitum esset, ab infirmitatibus naturam immutabilem esse remotam, ideo non veritus est, induere poenitentiam cordis; ideo non erubuit, invidiosi similem esse; ideo eum non puduit* (כְּוַן), *aut somnum capere aut victimam postulare. Nullam viam neglexit, quin libertati dominatrici* (h. e. libero arbitrio) *opitularetur. Itaque calumniator* Marcion) *profitebitur stultitiam suam atque misericors* (deus) *declarabit bonitatem suam.* — Adv. Scrut. 31. III. 55—57: *Celebremus eum qui induit membrorum nomina, qui aures se habere dixit, quo intelligeremus, eum nos audire; qui oculos sibi accommodavit, quo sciremus, eum nos intueri. Sed nomina tantummodo rerum induit. Quamquam enim nihil erat in natura ejus irae aut poenitentiae cordis, tamen earum nomina induit, propter infirmitatem nostram. Cognitum habemus, nisi induisset nomina illarum rerum, cum nostra humana eum loqui non potuisse. Per nostra ad nos accessit; nomina induit nostra, ut sua nos indueremus. Etenim quum ipse speciem nostram quaereret et indueret, etiam patris instar cum filiis suis locutus est cum pueritia nostra. Nimirum formam suam absconditam induit et non induit, dimisit eam et non dimisit eam, quumque indutus esset, nudus exstitit. Induit eam in commodum* (*nostrum*) *et dimisit eam per mutationem* בְּשׁוּחלֵ̈פָא quasi vestem mutatoriam.) *Quodquum vel dimitteret*

divinos scriptores deum tam humilem eoque tamen ipso ab intelligentia nostra propiorem informasse [148]), quamvis prophetae, veluti Moses, illum esse spiritum omnique materia immunem cognoverint et saepenu-

---

vel indueret omnes formas, docuit, nullam esse naturae (summae) *formam; sed quum ipsa natura* (summa) *esset abscondita, se ipsam tantummodo adumbrasse in rebus perspicuis. — Fuit modo senis et antiqui dierum instar, modo similis fuit viri fortis accincti et militis. Ad judicium exstitit quasi senex, ad pugnam vero quasi armatus. Hic visus est tamquam otiosus, ejusque similis qui cursum perfecerat, illic tamquam defatigatus. Hic fuit is, qui dormivit, illic fuit egenus; quocunque enim modo laboravit, ut nos acquireret* (sibi). *Est enim ille bonus, qui, etsi efficere potuit, ut vi coacti sibi grati fieremus sine labore: tamen omnibus modis studuit, ut ex nostra libera voluntate placeremus et decorem nostrum informaremus coloribus a voluntate sibi conscia petitis*" et quae relicua sunt.

148) adv. Serut. 25. III. 45: *Scripturae prophetarum continent sensum* (naturae divinae); *adumbrarunt* (prophetae) *eum nominibus. Caussae enim clamabant, cur tam humile cum iis loqueretur. Quodsi loqui incepisset secundum stuporem et admirabilitatem divinitatis suae, error* (פְּהִיָא) *intelligentiae* (לִמְשַׁמְּעַתָא h. e. intelligentia praeditis), *offensio pueritiae* (imperitis) *orta fuisset; simplicem perdidisset et perfecto damnum intulisset. Variis igitur symbolis usus est, ut secundum vim suam et quemadmodum posset, eum assequeretur homo.*

mero praeceperint [149]). — Secundum argumentandi genus in eo ponitur, quod Christum, verum illum creatoris, neque tamen ficti ejusdam dei, quem adversarii excogitassent nomineque justi appellassent, filium [150]), a prophetis vere praedictum ac significatum esse asserit [151]). — Tertium denique est, quod utriusque scripturae doctrinam praeclare omnino conspirare et conciliari posse dicit. Invehitur enim in Marcionitas maximopere, quippe qui, novis erroribus inducti

---

149) ib. Segm. E: *En Moses, quum populum edoceret, sicuti nos, praecepit de summa natura. Diluit ista (de D. ἐ materia commenta), quum diceret: non vidistis similitudinem de medio ignis*; et relic.

150) Hymn. adv. haer. 37. II. 524. A: *Ecce liberator noster media in ecclesia! Introite, modesti estote et percipite ab eo, cujusnam ille sit filius. Filius nimirum est opificis in munere suo* (בַּעֲבֹדָה) *atque filius creatoris in suo opere moderando* (בַּתּוּקָנָה).

151) ib. 22. b. 488. F: *Sunt qui putent temere, prophetas nimirum non praedixisse de domino nostro. Futuro ejus adventu coarguuntur ejus, quod* (ante) *fuit. Ut prophetae pristina significarunt, sic Apostoli similiter, quae futura sunt, nobis indicarunt. Disce adventum ab adventu, anteriorem ab eo qui futurus est. Benedictus sit qui utrumque manifestavit.*

et obtusi, ideoque a veritate abalienati, novum Evangelium cum lege certare autumaverint [152]). Verum ex Ephraemi sententia, quoniam veritas una sit, utrumque etiam praeclare conspirat eandemque veritatem, pro temporum ratione tantum diversam, manifestat [153]); jam utrumque vicissim

---

152) ib. 2. p. 442. B. (Tamquam) *cisternae quassatae accusantur* (duo illa testamenta a Marcionitis), *quae aquam in se continere non possint; nam utres veteres* (inquiunt) *scidit novitate sua vinum, acerbitati sua disrupit* (מַרְרָךְ) *novos.* — Hymn. 43. p. 538. C. D: *Neque enim infuderunt vinum novum in utres, quae veteres essent. Quales sensus, tales leges tibi dedit* (deus). *Si nova auris est, etiam lex ita est; aure enim vieta novae voces non percipiuntur. Atque illud mirum est, quod tradidit praecepta minime vetera* (sed nova potius) *neque tamen dedit membra* (aures) *peregrina* (ut Marcionitarum membra). *Sensus quos sanavit, clamant de eo* (testantur ei), *etsi voces sint novae, tamen ipsum qui dederit, non peregrinum esse.*

153) adv. Scr. 22. III. B: *Laudes dominum universitatis rerum, qui composuit idemque temperavit sibi utramque citharam prophetarum aeque ac Apostolorum. Unus vero digitus pulsando elicuit in utraque sonos diversos utriusque Testamenti* (חָדָא דֵין צֶבְעָא נָקְשַׁת בַּתְרֵין קָלָא פְּרִישָׁא דְתַרְתֵּין דִיַתִיקָאס). *Etiamsi diversos fundat cithara sonos, eadem tamen est cithara et artifex idem: sic etiam veritatis plectra, fili vari-*

demum se complet et persolvit, cui in Christi laudatione celebrationeque unus idemque summus finis sit propositus [154]). — Ad extremum autem illis argumentorum generibus quartum est adjungendum, quod in eo versatur, totum novum in vetere Testamento descriptum esse et consummatum ideoque utrumque arctissime cohaerere [155]).

---

ant sonos, quum una tamen sit veritas. Itidem una tibia diversos sonos (פִּירְשָׁנָא pr. discrimina, vicissitudines) *progignere* (edere) *potest; auri sani* (periti) *canit sonos fortes; auri infantium sonos simplices; auri infirmium sonos suaves. Itaque etiam tubae veritatis largitae sunt graves* (pr. perfectos) *sonos ei qui adultus est, ei vero qui admodum infans est, composuerunt etiam consilia lactis et mellis.*

154) adv. Jud. III. 218. A: *conjunctae enim fuerunt voces Apostolorum* (prophetarum choro). *Vetus etiam canebat in laetitia de liberatore — —. Perfectus est per Messiam prophetarum et Apostolorum ordo. Una celebrat uterque dominum qui utrumque instituerat.*

155) adv. haer. 36. II. 521. B: *Testamentum* (vetus) *totum est impressum in Messia. Utrumque Testamentum quod abrogant infideles vicissim alterum alteri sibi impressum est in concordia. Fuit enim Testamentum vetus ad typi instar, sed maculae expers* (אָמוּמָלָא ἀμῶμος)*, quod nuptum* (intime cognatum) *est illi quod permanet et stabile est et operatur neque interibit. Testamentum novum consumtum est typis sociae suae*

Etsi vero ista quae accepimus didicimusque breviter, multis in locis aperte praecipit et inculcat, tamen ex adverso maximum inter utrumque Testamentum intercedere discrimen atque Evangelium multo praestantius esse lege, vere eum statuisse, haud minus est apertum; et si non omnes caussas, quibus illud patet, adjungemus, breviter interdum, quae rem satis firmabunt, nonnullas hic ponemus. Primum enim quod diximus eo efficitur, quod docet, deum in vetere synagoga se naturae humanae debilitati accommodasse, at in novo multo altiora praecepta posuisse; quae tamen omnia, quum in superioribus (annot. 147. 153.) satis sint exposita, non habemus necesse hic recolere. Jam in vetere oeconomia judiciali quadam acerbitate

---

et soluti sunt (typi veteris in novo Testamento.) — adv. scrut. 6. III. 159. E: Quantum sane haesitant omnes infideles in rebus perspicuis. Quodquum praeclare adumbraverit (deus) novum hoc testamentum in eo quod prophetarum fuit: veluti ex somno surgunt contemti (חַלְשָׁא), clamant et perturbati sunt.

usus est, contra in nova lenitatem benignitatemque per Christum suum adhibuit [156]). Deinde ejus, quod proposuimus, secunda caussa inde sumendum est, quod veritatem, a Christo distincte aperteque expositam et ad finem perductum, in lege tantum quasi primoribus lineis inchoatam tecteque symbolis atque figuris traditam esse docet [157]). — Postremum denique, quo sententia nostra stabiliatur, illud est, quod legem veterem

---

156) adv. haer. 51. II. 548. sub init. *Scabies blasphemiae et lues arrogantiae reperiebantur in crucifixoribus. Animadvertit medicus in morbum, aegritudinem nimirum terribile et labem nefandam* (מוּמָא דשׁוּכְרָא cf. II. 442. C.). *Incepit igitur minas ei adhibere* (שַׁקֵל סַם לֵה וְיַא cons. II. 27 F. נַהֵב וְיַא), *cauteria justitiae, ut exstirparet cum severitate aegritudines arrogantiae quae graves factae erant libertate* (liberi arbitrii usu). — — — segm. C. p. 549: *Est ille bonus medicus, filius medici absconditi, qui missus est benignitate, ut curam imponeret morbo et sanaret aegritudinem* (כשׁוּרשׁוּתָא).

157) adv. scrut. 6. III. p. 161. C: *In testamento Mosis, en* (Christe) *adumbrata est gloria tua, in novo testamento* (eam) *persolvisti* (pro שׁדַיתי rescrib. שׁרַיתי). — adv. haer. 33. II. 514. D: *Haec symbolis perfecit in commodum* (nostrum). *Denuo autem perfecit ea in veritate ad auxilium* (nostrum). *Misit dilectum suum.*

ad tempus tantummodo datum, tum vero abrogatum[158]), contra novam in aeternum usque futuram esse declarat[159]).

24. Huic de consensu utriusque Testamenti loco, qui est expositus, proximus is est, qui constat ex Ephraemi opinionibus *de attributis sive affectionibus scripturae sacrae.* Quando vero locus in plures partes distributus est atque sua quaedam membra habet, earum unamquamque paucis attingamus: et primum *de ipsa divina origine*[160]), quam et veteris et novi Testamenti libris tribuerit noster, dicatur; qua de re tamen illud, quod totam scripturam, quemadmodum infra vedebimus, symbolis et vaticiniis tecte significatis scatere putat, multo aper-

---

158) adv. Jud. III. 186. B-E. 187. 188. B.

159) adv. scrut. 38. III. 69. E: *Filius absconditus* (h. e. Christus abscondite genitus) *definitus est* (h. e. permanebit) *per omnes dies, fratres mei, sicuti mons Sinai.*

160) Loquitur saepe de סִפְרָא אֲלָהָיָא h. e. de *divina scriptura*; e. g. I. 433. B. III. 108. A.

tius et clarius loquitur, quam ipsum suum testimonium, quippe quod rarissime tantum incurrat. — Scriptores sacri igitur, ex ejus sententia, a spiritu divino agitati, libros conscripserunt; sed quia spiritus trinus atque unus est (III. 83. C.), omnis etiam scriptura a tribus divinis personis est repetenda, quemadmodum de Psalmorum libro distincte declarat, illud tribus divinis personis nobis accensendum esse [161]). Modo igitur docet, deum filium locutum esse per prophetam [162]); modo praecipit, spiritum sanctum in eorum animis efficacem fuisse [163]);

---

161) I. 433 B: הו ספרא אלהא לתלתין קנומא אלהיא פאא דנחשביוהי *Illud librum divinum trium divinarum personarum esse, decet nos existimare.*

162) I. 451. F: אלהא מלתא ביד נביא אמר *deus verbum per prophetas loquitur.*

163) II. 546. C: שמה דרוח קודשא שימת נביותא *nomen* (h. e. persona) *spiritus sancti composuit prophetias.* — id. 355. F: ספרי רוחא דכתיבין ברוחא דקודשא *scripta spiritus quae scripta sunt spiritu sancto.* Sic etiam scripturam appellare solet: פתגמי רוחא דקודשא *effata spiritus sancti*: e. g. II. 138. A.

modo denique oratorum divinorum singula effata ad deum patrem verba praeeuntem referuntur [164]). Jam ex hoc quem dedimus loco, patet, Ephraemum veram quandam rerum, notionum et verborum suggestionem sive inspirationem realem et verbalem stricto sensu cogitatam, statuisse; quod ut magis intelligatur, alterum locum infra subscribamus [165]).

25. Deinceps est sententia ejus de scripturae sacrae *veritate* et *auctoritate*, quae

---

164) I. 433. A: *Psalmos scripsit per verbum et revelationem divinam ei concessam. Namque omnia effata quae in Psalmorum libro sunt conscripta, a Deo didicit, is qui linguam Davidis commovit; quemadmodum columum suum scriba regit, ita illum rexit; id quod Davides ipse etiam testatur in psalmo, quum dicit: „lingua mea est calamus scribae velociter scribentis.“* (*ps.* 44, 2).

165) adv. scrut. 53. III. 98. C: *Quis est qui non admiretur justum, qui non recusaverit, quin vel describeret res superiores, vel adumbraret res inferiores, vel exprimeret res creatas omniaque adjungeret, atque adeo sermonem de virgis et genus mandragorarum* (Gen. 30, 14. 37.), *et loquentes faceret feminas simplices, scriberetque per spiritum sanctum et in tabernaculo deponeret.*

quidem jam ex iis quae in proxime antecedentibus de divina inspiratione vidimus; deinde ex eo, quod scriptores sacros verum utique tradidisse, ipse docet [166]), perspici possit. Sed tamen aperte etiam totius scripturae sacrae *veritatem* vindicat eamque veram sinceramque nominat [167]). Qua re innumeris fere in locis et imprimis in hymnis adversus scrutatores, contra eos acriter copioseque disputat, qui, a veritatis tramite declinantes et in scripturarum mysteriis abditisque effatis temere investigandis aberrantes, sive semetipsos sive alios seducant atque perdant: hac quidem laetissima spe exultans, nunquam fore, ut divina veritas istorum hominum perversitate vel noxam trahere vel occultari possit [168]). Ex his vero

---

166) Appellantur adv. scrut. 60. III. 115: *veraces* (שַׁרִירֵא) *per quos locutus est* (דְּלְעֵזַּה בְהוֹן) *spiritus.*

167) II. 533. C: כתֹבֵא דַמְלֵין קוּשְׁתָּא h. e. *scripturae plenae veritatis.* — III. 63. B: שַׁפָּא כתָֹבָא *scriptura pura s. sincera.* cf. III. 94. D. 111. B.

168) II. 500 F: *Quemadmodum nemo potest occultare ortum siderum* (pr. splendorum): *sic etiam nemo potest occultare*

omnibus sponte etiam sequitur, ut *auctoritatem* scripturae sacrae summam tribuerit, fontem veri et cognoscendi et dijudicandi unam eam agnoscens atque eam tantummodo doctrinam, quae illi consonaret, sinceram arbitratus [169]).

26. Quoniam igitur librorum sacrorum veritas est perfecta atque nulla salus extra eos reperitur, similiter eorum *sufficientia* sive ea praestantia, qua in iis nihil praetermissum sit, quod ad animos promovendos felicitatemque consequendam facere possit, maxima celebratione effertur, quum Marcionis errores in S. S. per additionem sive per detractionem commissos acriter refellit. Quem totum locum, quantumvis gravis sit

---

veritatem scripturarum. In astrorum splendore (pr. in astris) *multi sunt qui in iis errent et in scripturis plurimi qui in iis haesitent; in astrorum fulgore laqueos parant et in scripturis sinceris maculas.*

169) III. 83. B. de sacris scripturis loquitur sic: לְגַו מִנְּהוֹן חַיָּא לְבַר מִנְּהוֹן מוֹתָא h. e. *in iis vita* (salus) *extra eas mors* (exitium).

lateque pateat, tamen denuo nunc exponere, facile supersedeamus, quum jam a V. C. Hahn subtilissime perinde atque uberrime sit explicatus [170]). Alios vero fontes, unde religionis Christianae cognitio hauriri possit, veluti traditionem, nullos statuit.

27. Toto igitur loco inspirationis et, quae inde descendunt aptissimeque cum illo cohaerent, veritatis, auctoritatis et sufficientiae, quantum ad nostram disputationem pertinet, breviter explicato, nunc quod relicuum est, quoad potero, vobis exponam et perficiam. Illud vero primum intelligendum est, scripturae *perspicuitatem* a nostro non esse praeceptam. Neque praecipere eam potuit, quum scripturam sacram a supernaturali stricteque cogitata inspiratione prophetis et apostolis concessa repeteret. Ex hac enim sententia emanaverunt aliae hujusmodi: non modo omnia scri-

170) In libro supra laudato: Das Evangelium Marcion's etc. p. 32 sqq.

pturae effata abditis arcanisque significationibus ac figuris esse referta; multosque incidere locos, propter absconditam trium divinarum personarum, de quibus sermo esset, naturam, ab intellectu humano prorsus remotos: sed etiam alia prophetarum dicta, ex secretis obscurisque spiritus divini rationibus esse edita, quorum caussam mente assequi non possemus [171]. Admonet igitur auditores, ut scripturae mysteria pie et

---

171) ad Jer. 20, 15. II. p. 134. C, verbis: „*maledictus sit, qui patri meo annunciavit, natum ei esse filium, insigni eum afficiens laetitia*“ — haec adscripsit, quae sequuntur: *Aptum est hic repetere, quod jam supra diximus. Quae enim Jeremias hic loquitur, eadem dixerat justus Jobus, quem tamen non deliquisse nec labiis suis futila edidisse in deum, dicit spiritus. His plura etiam in libro psalmorum scripta sunt in eundem finem, quae a spiritu propheta didicerat et conscripsit. Neque enim decet, prophetae dicta cum verbis futilibus reliquorum hominum imperitorum indoctorumque confundere, nec nobis dicendum est, Jeremiam vindictam expetiisse, tamquam hominis in fratrem suum ira incensi instar: sed, ut jam monuimus, sive propheta vaticinatus est de iis, quae accidere aliis futura essent, sive significavit dolorem suam ex caussis non reprehendendis* (הלכת עללתא לאו עדיכתא cf. II. 123. A. II. 4.), *sed occultis, quae nobis absconditae sint mentemque superent, et verbis quidem, prophetis a spiritu compositis et destinatis.*

verecunde amplectentur, neque ea, quae intellectus rationisque fines longe superent, curiose perscrutari atque indagare audeant [172]; quicunque enim sibi in divinis scripturis fixos limites transierit, praeposterae curiositatis temeritatem nunquam non propria ruina luere [173]. Neque igitur

---

172) III. 18. C: *Quis est qui evadat igne, quem in mediam ecclesiam infert scrutatio peregrina. Sunt quidem ipsa in ecclesia quaestiones, quae investigantur, de rebus de perspicuis; nec tamen abdita scruteris licet.* — ibid. 70. F: *Quidquid enuntiari potest, potest etiam explicari et facile est ad pervestigandum et disquirendum et explanandum. Os enim est cognatus interpres rerum sibi cognatarum* (h. e. dictorum; pr. filiorum generis sui: בְּנַי טוּהְמָא). *Quidquid autem non potest aut non debet perquiri et explicari, id silentio premendum est* (pr. ejus finis est silentium); *ejus enim mysterio mens non est cognatus.* — ibid. 133. E: *Dedit* (deus) *praecepta et retinuit perscrutationem a testamentis suis; nulla est quaestio neque ulla disceptatio. Dedit legem pro perscrutatione et pro disquisitione, in fidem nostrae imbecillitatis. Res, quas creavit, pervestigari non possunt; quanta est una natura ejus, quae latet in essentia sua neque enuntiari potest.* — cf. III. 132. A. B.

173) III. 30. F: *Quisquis scrutatur, membri similis est, quod aegrotatur; sanandum est, ne inficiat totum corpus.* — ib. 40. D: *Infideli affinis is est, qui* (divina) *investigare audet. In gradu mortis consistit etiam impudens, qui fidem*

ipse secum certat, si quando scripturam appellat simplicem et ad comprehendendum facilem [174]), neque magis alias a se ipse descivit, si, qui sana modo ratione eam legerit, facile sensum ejus assequi posse declarat [175]): quum pateat, nisi ejusmodi ante oculos ei non versari lectores, qui ex sacris scripturis illud percipiant sibique accommodent, quod ad animum convertendum vel cohortandum magisve promovendum valeat, nec tamen arcana earum male omnia confundendo invadant. Vehementissime nimirum saepius in haereticos et scrutatores insurgit, qui scripturas terunt, non ut pia lectione proficiant, sed potius, ut

---

rejicit in disceptationibus suis, qui in profunditatem (pr. descensum, נחותה) *maris mysteriorum inquirat.* — id. 126. B: *Si pervertunt homines finem* (descriptum) *in scripturis, ipsorum perscrutatio contrahit iis mortem.*

174) III. 126. C: כתָבָא פְשִׁיק הוּ לַן *scriptura facilis est intellectu nobis.*

175) II. 344. B: *Quicunque scripturas legunt et percipiunt attendantque verba earum, claris mentis oculis instructi, effata earum assequentur.*

materiam inde ad disceptationes rixasque sibi depromant. Iis vero, qui vere pii verecundique sint comparati, non solum, ut videtur, populi praeceptoribus, episcopis nimirum, diaconis et monachis, verum etiam omnibus, qui religionem christianam amplexi fuerint, scripturae diligentissimam assiduamque *lectionem* commendat [176]).

28. Quoniam ergo de scripturarum consensu, de attributis earum etiam et lectione

---

176) Serm. exeg. II. 336: *Scripturas lege assidue, ut ex iis sapientiam discas.* — p. 337. D: *Scripturas crede mensam tuam; inde satieris deliciis; illas puta stratum tuum et capies somnum quietis.* — De secundo adventu: *ἀδελφέ μȣ, νῆψον ἀσφαλῶς, καὶ σπȣ́δασον ἀεὶ τῇ ἀναγνώσει προσκολλᾶσθαι, ἵνα σε διδάξῃ πῶς δεῖ ἐκφυγεῖν τὰς παγίδας τȣ̃ ἐχθρȣ̃, καὶ καταλαβεῖν τὴν αἰώνιον ζωήν· συστέλλει γὰρ ἀνάγνωσις τῶν θείων γραφῶν τὸν νȣ̃ν πλανώμενον· καὶ δωρεῖται γνῶσιν εἰς θεόν. Γέγραπται γὰρ· σχολάσατε, καὶ γνῶτε ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ θεός·* (ps. 46, 11) *ἀκȣ́εις, ἀδελφέ μȣ, ὅτι γνῶσιν θεȣ̃ λαμβάνει ὁ σχολάζων ταῖς θείαις γραφαῖς ἐν ἀληθινῇ καρδίᾳ· διὸ ἀδελφὲ μὴ ἀμελήσῃς τῆς ψυχῆς σȣ, ἀλλὰ σχόλαζε τῇ ἀναγνώσει, καὶ ταῖς εὐχαῖς, ὅπως φωτισθῇ σȣ ἡ διάνοια, καὶ ὅπως γένῃ τέλειος, καὶ ὁλόκληρος ἐν μηδενὶ λειπόμενος.* —

diximus ac totum illum locum, ut apertior esset, exemplis accuratius exponi oportere arbitrati sumus, nunc sequitur, ne longius oratio progressa videatur, ut de ea re, quam caussam hujus disputationis alteram dicebamus, Ephraemi interpretandi ratione ipsa, in relicuis generatim perscribamus. Atque ex iis omnibus, quae paullo ante dicta sunt, jam oportet existimari, nostrum in sua interpretatione etiam ecclesiae rationi ac praeceptis presse fuisse obsecutum. Itaque etiam in scriptis suis cognoscitur omnino. Fuit enim, quemadmodum sive ab Audianorum sive ab Allegoristarum, proprie sic dictorum, erroribus, quam maxime abhorruit, ita longissime disjunctus ab Antiocheno genere, quod cujusmodi id temporis fuerit in superioribus nobis est adumbratum. Neque illud quidem, quod descripsimus, liberalius practicumque cogitandi genus ac studium, quo illis aetatibus omnis claruit Aramaea, prorsus abnegavit: tamen, quum orthodoxae fidei esset tenacissimus, in mystica Ecclesiae via acriter processit. Primum

igitur omnium, quicunque interpretationes scripserunt, neque enim habeo quemquam antiquiorem, Ephraemus fuit, qui ejus temporis interpretandi generum medium quiddam constanter persequi studuit. Namque ubicunque locorum, si a vaticiniorum quibusdam explanationibus, in quibus ex parte etiam male deliquit, discesseris, duplicem quendam, et literalem et spiritualem sensum verbis sacris inesse arbitratus est. Qua re qui primum fuerit ejus generis antistes, diligentius aliquanto consideretur informeturque dignus est.

Accusavit igitur impiae audaciae Allegoristas, qui literalis sensus veritatem saepenumero negarunt, si in Commentariis his ipsis verbis est loquens: לָא דֵין אנשׁ נַשְׁבַר דאִית בַעבָדָא דְאשׁתֹּת יַוְמָא תוּרגָמָא h. e. *nemo vero in opificio sex dierum allegoricas interpretationes* [177]) *quaerendas esse putet.* Quibus tamen

---

177) תוּרגָמָא reddimus per *allegoricas interpretation s* neque vox alia hic ratione explicari potest. Similiter etiam verbum adhibetur de *interpretationibus scrutatorum,* qui spiritus sancti naturam investigare student, ap. Ephr. III. 59. F.

in verbis disceptari possit, ut ante jam breviter monuimus (p. 39), num refellat Origenem, aut Philonem, aut Gnosticos, qui omnes, praeter Marcionitas, qui arte sua critica callidaque quadam explanandi ratione uti mallent, omnes igitur Gnosin suam in sacris scripturis exquisituri, allegorico generi indulgerent, veluti Valentinus Bardesanistaeve, qui Mosis scripta quidem recipiperent [178]), sed tamen propter allegoricam ac contortam quandam Pentateuchi interpretationem ab Ephraemo castigantur [179]). Nec minus respuit Audianorum sive Anthropomorphistarum, quos ipse plures inter alios haereticos recenset [180]), tristissimum

---

Alias ubi redit, verbum *Turgoma* expositionem s. interpretationem significat. Act. I, 19. Ephr. I. 91. F; alias vero Glossam s. interpretationem S. S. Videas sis Assem. B. O. I. p. 23. 39. 165. 350 fin.; alias denique Turgoma est Homilia in Evangelium sive diem festivum, soluta numeris oratione. Assem. l. l. I. 304. 9. III. 1, 66.

178) Ephr. adv. haer. 21. II. 483. D. —

179) II. 558. B—D. coll. p. 441. D. E.

180) אוּדָיֵא adv. haer. 22. II. 488. C. hymn. 24. II. 485. E. — Alibi vero (II. 493. F.) isti haeretici appellantur

errorem, cujus auctor concilii Nicaeni fere tempora exstitit Audius quidam, lingua et genere Syrus [181]), qui vanas suas opiniones, deinceps quidem saeculo quarto per Aegyptum etiam et Arabiam late dissipatas, primum inter suos disseminare incepit. Quod vero perversorum hominum genus ex altera parte mirifice aberrabat, quum scripturae sacrae literae omnino inhaereret omniaque atque adeo ea, tropos dico vel symbolica metaphoricave dicta et imagines, quae proprie nullo pacto possunt explicari, ad literam accipienda esse insulse autumarent. Verum hoc monstrosum genus profluit ex altero de dei natura commento, quo corporis humani membra actiones in deum transferebatur, cum Anthropathiae

---

עוּדְיָאֵ, propter verbi lusionem, ut videtur. Dicit enim: עוּדְיָאֵ לָא אִתְחַצַּמוּ בִשְׁמָא דְעוּדָא h. e. *Udiani vocabulum Udo* (Noctuae) *non erubuerunt.*

181) Testibus Epiphanio in haer. 70., qui tamen ipse a Theophilo Alexandriae episcopo, Anthropomorphismi erroris accusabatur. (Socr. in H. E. 6, 10) et Theodoreto H. E. 4, 10. Fabul. haret. 4, 10.

errore quidem commixto, quo sensus et cupiditates humanas deo insipidi tribuebant. Attamen nullus in Ephraemi scriptis omnibus incidere locus mihi visus est, quo separatim Audianorum refelleret commenta ac sine ulla dubitatione confirmaverim, virum immortalem et celeberrimum Assemanum injuria sibi cumsisse [182]), hymnorum adversus haereticos conscriptorum unettricesimum, quem maximam partem supra (ann. 147) transcripsimus, in istos ipsos haereticos esse conversum. Immo vero quemadmodum in iis quae antecesserunt proximeque insequuntur, sic illic etiam Marcionitarum turbas incedit, quae secundum sua ad literam interpretandi rationis principia, omnia, quantumvis anthropomorphistico aut anthropopathico loquendi more essent dicta, tamen uti verba sonarent, sic retinenda putabant neque auctoris cogitationes a sermonis involucra caute discernebant [183]).

---

182) in B. O. I. 106. 31.

183) cf. Neandri V. S. V. Entwickelung etc. p. 282. ej. Allgemeine Geschichte der christlichen Religion II. 2. p. 786.

29. Fuit interpres noster medius inter Graecos atque inter Antiochenos et quasi temperatus, neque infraenata licentia superiorum nec hac tanta, qua excellebant, liberali ratione, utens posteriorum, in neutra modum modicum excedens, utriusque particeps. Toti enim scripturae, ex immediata spiritus divini revelatione exortae, mysterium quoddam (רָאזָא), in Christo ejusque oeconomia demum persolutum et propheticum argumentum inesse censet. Neque scriptura tamen una eademque usque ratione de Christo vaticinatur, sed variis modis. Atque primum quidem effatis, deinde populi Judaici singulorumque factis et eventis, postea omnibus rebus, quaecunque ad veterem synagogam spectant. Sed effatorum sive vaticiniorum, quae proprie sic dicuntur, in quibus primum nobis subsistere libet, quae ad Christum traducuntur, duo sunt genera, unum proprium, alterum inproprium. Proprium est, quod Graeci *κατὰ τὸ ῥητὸν* sive *καθ' ἱστορίαν*[184]),

---

184) Sed aliter etiam plurimis modis, veluti: *κυρίως*, *κατὰ τὸν πρόχειρον νοῦν*, *κατὰ πρῶτον* s. *κατὰ πρόχειρον*

Latini *secundum historiam sive literam* appellant [185]): inproprium, quod illi *κατὰ διάνοιαν* [186]), hi *secundum spiritualem intelligentiam* [187]), nominant, noster autem simillimis formulis, ut post videbimus, vocat.

30. Horum primum igitur cognovimus illud genus, quod in dictis, numero quidem paucissimis, positum est, quae uno ac proprio sensu ad Christum et ad ecclesiam ejus pertinent. Quorum vero sensus, quamquam nisi ad Christum non referri debet, tamen non *historicus*, quemadmodum apud Graecos et Latinos est consuetum, sed,

---

λόγον, κατὰ νοȣμένον αἰσθητὸν, κατὰ τὸ γράμμα, πρὸς λέξιν νοησόμενον ille verborum proprius sensus apud Graecos nuncupatur.

185) Alias etiam *juxta naturalem sensum* dicitur.

186) Aliter istud genus exprimitur sic: *κατ᾽ ἀναγωγὴν ἰχνοτέραν, πνευματικῶς, τῇ ἀληθείᾳ, ἀλληγορικῶς, μυστικῶς νοȣμενον* s. *κατ᾽ ἀλληγορίαν εἰρημένον.* etc.

187) Alibi: *secundum mysterium, s. secundum subtilem verborum sensum.*

quum Judaeis mysterium fuerit omnino et ad Christum potius, quam ad synagogam sit transducendus, proinde atque omnium relicuorum, quae in vetere testamento continentur dictorum, *arcanus* sive *mysticus* esse perhibetur. Itaque locum Jerem. **30,** **20** sqq. (II. **140.** B.) exponit, quem non ad Hebraeos, sed totum ad promissionis populum sive Israelem Dei proprie spectare docet. Ad exstremum autem addit haec: בשׁוּכְלָא דָאזְנַיָא בַּלְחוּד שְׁרַת מִלְתָא דְאָמַר אֶרְמִיָא *uno sensu arcano eventum habuit quod dicit Jeremias.* Huc pertinet etiam interpretatio loci Jes. **2, 1—5.** Quamquam hoc in genere a se ipse etiam descivit. Namque illum Jeremiae locum, quem in altero loco ad solam oeconomiam christianam trahit, in altero cognato (Micha 4, 1 sqq.) mystice tantum ad Christum, at secundum obvium verborum sensum de Judaeorum synagoga intelligit.

31. Hi cum in proprio vaticiniorum genere loci sunt paucissimi, multo latius patet illud, quod appellari oportere impro-

prium paullo ante diximus: quod autem genus non minus vere, sed paullo tectius, Christum exprimit. In hoc omnia relicua, qualiacunque sunt, S. S. dicta cadunt, quae non prioris generis sunt, nec tamquam mysterii instar ad unum Christum spectant. Omne igitur, quodcunque est, effatum, quod alteri huic generi est adjunctum, duplici modo intelligi oportet [188]). Atque primum enuntiati propria proximaque significatio [189]) historice [190]) est explicanda; deinde praeter

188) II. 298. B: שׁמא דצהיון מתחשב בתרין זבנא *nomen Sion duplici ratione accipiendum est*, nimirum primum de Sione terrestri, deinde de coelesti.

189) II. 119. E: שׁוכלא דילה דברת קלא *propria dicti sententia.* Sensus autem literalis appellatur etiam alio nomine שׁוכלא עדתניא *sensus ecclesiasticus* h. e. historicus. I. 503. D. II. 61. E; sive שׁוכלא בריא *significatio externa,* obvia; II. 288. D. 306 F. 307. F. sive שׁוכלא קדמיא *sensus proximus.* I. 270 B. Apud Jacobum Edessenum, in Ephr. Opp. I. 173. D. legitur מלתא גושמניתא *verbum corporeum.*

190) שׁועראנאית *historice, ad literam.* I. 112. C: 306. B. 318. D. E. 357. C. 537. E. II. 17. F. 188. C. 189. A. 288. F. 305. E. 306. F. 310. B. relic. Alibi etiam מתרגשנאית *ad sensum animalem.*

literalem alius quidam sensus [191]) verbis latet ideoque etiam altera ratione [192]), nimirum subtili spiritualive [193]), omnia, quae dicta sunt, exponenda sunt. Omnes ergo S. S. loci, illis paucis exceptis, quae paullo ante quaesivimus, convenient in hoc alterum genus, qui, si externam eorum rationem consideras, jam in vetere synagoga ad certum finem sunt perducti, quapropter ab in-

---

191) שׁוּכְלָא אַחֲרִינָא I. 270. B. 267. A. II. 12. A.

192) בְּזִנָא אַחֲרִינָא II. 17. T. 83. E. — אַחֲרָנָיאָה II. 242. A. 310. A.

193) Sequuntur formulae, quibus sublimem illam interpretandi rationem in universo appellat, aliae enim, quae de typica explanatione proprie usurpantur, infra separatim sunt exponendae. Sunt igitur bujusmodi: בְּהוּנָא קַטִּינָא s. בְּשׁוּכְלָא חַתִּיתָא *sensu subtili accuratove* II. 254. A. בְּשׁוּכְלָא רוּחָנָיָא *sensu spirituali.* I. 431. E. II. 289. A. — בְּשׁוּכְלָא רָאזָנָיָא sensu mystico s. arcano. II. 140. B. — רוּחָנָאִית *spirituali ratione.* I. 112. C. 295. A. II. 288. D. — רָאזָנָאִית I. 317. C. 336. E. 346. C. 369. A. II. 27. B. 129. F. 145. C. 252. C. 295. D. 306. F. vel ut alias scriptum est: ראזניאית I. 27. B. — בְּרָאזָא II. 90. C. 119. C. 310. A. — רְמוּזָנָאִית *per nutum* (arcanum) h. e. *mystice, allegorice* II. 65. F. 291. F. 295. A. — מְשַׁתְּכְּלָנָאִית *per subliminorem intelligentiam.* I. 228. E. II. 189. A. 277. F. 288. A. 315. B. — מְתִידַעְנָאִית *intellectuali ratione.* II. 298. B.

terprete ad populi judaici historiam apte traducuntur; sublimem tamen et subtilem enunciati sententiam si exquiris et indagas, perfectam demum et absolutam veritatem in Christo habent. Quod si ita feceris, omnia, quae in synagoga apparuerunt, novae oeconomiae quasi parva tantummodo initia posuisse atque ejus, qui omnia scripturae mysteria et arcana persolvit [194]) idemque verus est ἔκτυπος, nisi typi umbraeque faciem non gessisse videntur [195]). Quamquam igitur dictum propheticum aliquod, proprie

---

194) I. 108. E: אתגמרו מנה מרן כלהין ארזא *perfecta sunt per dominum nostrum omnia mysteria.* — III. 90. D: ראזא דנמושא טופשא דכוילא שלם בעדתא *mystsria legis, typos arcae, absolvit in ecclesia.*

195) I. 404. B. ad 2 Sam. 7, 12: *Quae autem vaticinatur de aeternitate regni Davidis sive Salomonis* הוא לם שרירא אף טופשא בהון אלא שלמא שריראית ותוב גליאית הוא במשיחא *initium quidem atque typus in iis fuit, at vero certissime porroque aperte eventum fuit in Christo.* — II. 94. A: *Veritas* (effati) *in ecclesia perfecta est, sed umbra in synagoga adumbrata.* — ibid. 141. A: *Propheta loqui pergit de felicitate, quae futura sit populo fine captivitatis Babylonicae, — — — sed secundum sermonis veritatem* (איך שררא דמלתא) *ratum est, ut ea de ecclesia Christi intelligantur.*

si intellexeris, ad synagogam referre potueris, magis tamen, quum in illa umbra, in ecclesia autem veritas sit, illud quadrare ad christianam oeconomiam censet [196]).

32. Esse igitur omnium locorum qui ostendunt se et occurrunt, si a paucissimis illis locis, qui ad unum Christum pertinent, discesseris, duplicem sensum: unum literalem vel historicum, alterum mysticum, aperte statuit. Quod quum ipse de se confessus esset [197]), non fuit, quare Gaabius

---

196) II. 43. D. ad Jes. 14, 8: *Hoc pertinent quidem ad principes et reges terrae — — sed magis quadrat* (נתיר שלמא על) *ad justos, qui de casu Satanae laetantur.*

197) Sic enim loquitur ad Jes. 25, 7. II. 61. E: אפן על סנחריב אמר אלא על סטנא רמס שכלא כית רוחניא לה לעדתניא אמינאית שלם פתגמא הכיל דנביא על הלין דנדשוהי לעמא את דעתדין למהוא לה ראזנאית משתכלין על שוטה דעדתה דמשיחא ועל בטילותא דאלהא ודינוהי על זדיקא ועולא h. e. *Tametsi propheta de Sancheribo loquitur, tamen Satanum* (quoque) *mystice innuit. Etenim sensus spiritualis historicum usque perficit; Prophetarum igitur effata sive de praesentibus sive mystice de futuris populi eventis in-*

auxie dubitaret [198]), num omnibus in locis praeter proprium etiam arcanum sensum inesse, vere sibi persuasisset; nostrae nempe sententiae veritatem ipsius istud luculentum exemplum evincit [199]). Jam vero, ut omnes Mesopotamiae incolae iis Commentariis videntur maxime fuisse delectati, qui mores emendare studerent vel pietati magis essent accommodati mysticasve interpretationes sectarentur: ita maxime Ephraemus propter allegoricam historicae conjunctam rationem, ab aequalibus laude celebratur [200]). Ipse

---

telligenda sunt, nimirum de statu ecclesiae Christi sive de gubernatione dei sive de judicio justorum et malorum.

198) Joh. Friedr. Gaab: Beitrag zur Geschichte der Schrifterklärung aus Ephraem dem Syrer, in Pauli V. S. V.: Memorabilien fasc. I. p. 69.

199) Nisi forte CC. mere allegorice interpretatus est, quod ex iis locis, ubi ecclesiam Christi sponsam appellaverit, veluti I. 365 E. aliisque locis haud inepte collegeris. Nempe ad allegoricam CC. explanationem aetatis suae ratione facile adducebatur. Quid, quod ipse index, carmini illi in syriaca interpretatione praefixus, Allegoriam sapit. cf. viri beati Jo. Chr. Döpke: Philologisch-krit. Commentar zum hohen Liebe Salomo's, (Lips. 1829) p. 35.

200) Apud Gregor. Nyssenum, qui de Ephraemi interpretationibus agat, in Encom. Opp. gr. I. p. VII. Ephraemus

etiam sensum spiritualem longe praetulit et, id quod ex iis locis existimari potest ubi de mysteriorum arcanorumque in ecclesia dispensatione sermonem instituit, literalem scripturae sensum, per interpretationem obviam et facilem, omnes sibi posse accommodare, spiritualem autem intelligentiam persequi non vulgo concessum esse, sed tantummodo selectioribus perfectioribusque, qui Theoriae sive divinae contemplationis de qua paullo post monebimus, altiora fastigia assecuti, coelitus edocti etinitiati essent, cum Origene aliisque ecclesiae patribus existimavit.

33. Prophetarum ecstasin, ut ante vidimus, ita sibi informavit, ut tantummodo spiritus divini quasi instrumenta fuissent et interpretes. Neque tamen censuit, prophetas nescivisse, quid locuti essent, vel, quum alios erudivissent, ipsos ignorasse, quid docuissent; immo vero, quemadmodum

---

dicitur τὰ βάθη τῶν κεκρυμμένων εἰς τὸὐμφανὲς ἁγίων θεωραμάτων, λύχνῳ κεχρημένος τῷ πνεύματι.

omnia, quae veteres scriptores proloquuti essent, intelligentium sibique consciorum fuisse, ex omnium fere ecclesiae patrum veterumque Theologorum exemplo sibi persuasit: sic usque etiam mysticam illam et arcanam S. S. sententiam a scriptoribus ipsis jam cogitatione fuisse comprehensam atque alterum illum sensum, qui tectus et occultus verbis lateret, prodere, consilium iis fuisse, aperte declaravit. Scribit igitur de Mosis in libris ejus exarandis consilio, hoc in eo versari, ut non solum historiam enarret, verum etiam christianam oeconomiam per mysticas significationes atque typos tecte adumbret [201]; profitetur igitur de

201) I. 2. A: *Scripsit* (Moses) — — *de Deo, eum unum esse atque millia myriadesque ei adstare; scripsit de mysteriis filii quae adumbrata sunt, dum res creabantur; descripsit typos ejus, qui in justis eum antecedentibus inchoati sunt et symbola* (פְּלָאתָא) *quae significata sunt in facinoribus virgae* (Mosis); *scripsit de veris praeceptis quae migrari solent.* Plura exempla produnt loci II. 495. E. III. 17. F. 161. C. — Ceterum memorabile est, adversus Lexicographos, qui voci פְּלָאתָא, quod in proxime antecedentibus incurrit, significationem nimis arcte circumscribant, jam suo jure disputasse Wisemanum in Horis syr. p. 34. Sed paullo accuratius

Saule, qui spiritu incitatus exarserit, eum a spiritu sancto una cum divinis hymnis futurarum etiam rerum scientiam ex prophetarum more percepisse [202]) atque omnes Prophetas Christum prospectasse [203]); re-

---

etiam de hac voce exponi licet. Primum enim significat *rem mirabilem*, deinde *parabola*, neque de solis parabolis ex creaturis rationalibus desumtis usurpatur, id quod uno exemplo, ex Ephraemi scriptis depromto (I. 260 D.), ubi parabola de *vinea* a Christo prolata פֶּלְאָתָא דְכַרְמָא appellatur, probe jam monstravit Wisemanus. Neque igitur differt a voce מַתְלָא quod ex iis, quae e vestigio sequuntur, magis intelligetur. Denique *symboli* significatione frequentissime redit; sic apud Ephr. III. 76. F. leguntur haec: *Vagina mystice sit corpus; frux mystice mens; et spica mystice anima, hoc est admirabile* (trinitatis) *symbolum* (פֶּלְאָתָא הֹי מְשַׁבַּחְתָא); statim autem post verbum מַתְלָא eadem significatione instructum reperies. Jam aliud exemplum exstat l. l. p. 137. A: *En symbola* (הָא פֶּלְאָתָא): *Sol pater est, lux filius, ardor spiritus sanctus. Quodquum unus sit* (deus), *trinitas in eo apparet.* Alia, si cognoscere cupias, exempla produnt loci III. 157. D. 161. C. 219. C. Itidem adverbii forma פֶּלְאתָנָאִית h. e. *συμβολικῶς*, saepe occurrit. cf. I. 269. E. 351. B. 537. E. II. 17. F. 186. C. 307. F. 310. B. 313. A; neque minus forma Adj. e. g. ap. Assem. B. O. I. 450. init: תַחְוִיתָא פֶּלְאתָנִיתָא *significatio symbolica.*

202) II. 352. C. ad 1 Sam. 10, 11.

203) I. 331. B: *Golgatham visiones et sententiae oraculorum jam longe prospectabant.*

deunt denique frequentissimae formulae, quibus significat, veteres scriptores, si non eandem, quam ex verbis ipse elicuerit, tamen ejus simillimam aliam quandam, arcanam sententiam, exprimere sibi voluisse [204]).

34. Deinceps sequitur, quod ipsius interpretationis mysticae argumentum sit, accuratius exponere. Illud vero in eo positum est, ut S. S. dicta ad Christum ejusque ecclesiam traducantur. Sed quemadmodum mundus ipse disjunctus est in duas

204) Ad Joel. 3, 18: *Montes dulcedinem stillantes sensu subtili apostolos* (propheta) *vocat* (קְרָא). Mich. 3, 8: *Per subliniorem intelligentiam Satanam praeclare* (propheta) *vocat pastorem caligine obtectum.* Jerem. 16, 16: *Spirituali ratione idololatriae eversionem propheta indicat* (בְּמֵאוּרָז), *piscatores autem vocat* (קְרָא) *apostolos sanctos.* — Exod. 37, 2: *Per aurum divinam verbi naturam significat* (מְשׁוּדָע). Ejusmodi plura si desideres, invenias in his locis: I. 227. D. 240. B. 242. A. 270. A. 274. C. 275. A. 281. A. 282. D. 283. F. 284. A. 290. C. 556. C. Minime quidem, ut verbo moneam, sum nescius, alios etiam interpretes, veluti Theodorum Mopsvestenum (cf. Sieffert l. l. p. 71), qui solam historicam sequantur interpretationem, simillimis formulis uti: tamen apud nostrum se rem multo aliter habere, quis est, qui non videat?

partes, visibilem et invisibilem [205]), atque Christus princeps ejus, duplicem fert naturam, ita ecclesia, duplex est; altera sensibus subjecta sive sensibilis, altera intelligibilis, ex quo ad utramque, obscuris significationibus adumbratam, scriptura veteris testamenti referatur necesse est. Ecclesia Christi sensibilis est in terris [206]). Sed ut ante vidimus (§. 30), interpretationem vaticiniorum historicam, quia Judaeis illa non fuerint intellecta, arcanam etiam esse et appellari: sic similiter ecclesia Christi terrestris, eo respectu, quo Judaeorum synagogae carnali sit opposita, sive tamquam ecclesiae intelligibilis typi instar, vocatur arcana [207]) vel Hierosolyma mystica [208]). Jam vero ecclesia terrestris duas habet formas, alteram internam, quae ad doctrinam vel mysteria

---

205) I. 228. F. 229. A. 459. F.

206) עִדְתָא מִתְרַגְשְׁנִיתָא *ecclesia sensibilis* I. 270. A. עִדְתָא אַרְעָנִיתָא II. 298. B.

207) עִדְתָא רָאזְנִיתָא I. 227. D.

208) אוּרְשְׁלֵם רָאזְנִיתָא II. 305. E.

symbolave refertur, in quibus explicandis maximam quidem partem interpretandi ratio spiritualis versatur; alteram externam, quae externo ejus statu conditioneque conficitur. Haec vero complectitur omnes religionem Christianam profitentes, tresve Sanctorum gradus, perfectorum, justorum et poenitentium [209]) eique praeficiunt Apostoli vel prophetae vel doctores vel interpretes [210]). Interpretatio igitur spiritualis, si externam ecclesiae conditionem respexerit, arcanum sensum trahit tum ad primaevae ecclesiae et Apostolorum historiam, tum ad persecutiones et martyres [211]), tum ad haereticos et Judaeos [212]), tum ad populorum conversiones [213]), tum ad ecclesiae ministros [214]),

---

209) I. 232. C. 252. A. 256. C.

210) I. 270. A.

211) I. 349. F. 378. C. 401. A. 524. A.

212) I. 283. E. 341. E. 403. D. 405. A. 427. D. 431. F. 441. A. 452. F. 558. E. II. 323. E. 332. B.

213) I. 293. D.

214) II. 228. E.

tum ad singulorum hominum vocatorum coetum [215]) et ad multas alias ecclesiae caussas et rationes. — Altera autem ecclesia est coelestis [216]), vel Hierosolyma libera vel coelestis intelligibilisve [217]), cujus principatum Christus tenet [218]). Illam constituunt naturarum coelestium ordines vel angelicae potestates ac pii beatique homines [219]), qui in coelesti cultu diversis muneribus funguntur [220]). Quodsi in ecclesiam intelligibilem interpres inquirat, explanatio ejus vere dici potest anagogica.

35. Quodquum tota V. T. scriptura, nisi in ecclesia jam est perfecta, tamen in

---

215) I. 232. C. 252. A.

216) עֲדָתָא דִבְשְׁמַיָּא II. 298. B.

217) אוּרְשְׁלֵם חֵארְתָא דִבְשְׁמַיָּא ה׳ II. 305. E. cf. Hebr. 12, 12. Galat. 4, 26. א׳ שְׁמַיְנִיתָא I. 458. A. א׳ מְשְׁתַּכְּלָנִיתָא II. 278. A.

218) II. 278. A: שְׁלִיטָא קַדְמָיָא דאוּרְשְׁלֵם מְשְׁתַּכְּלָנִיתָא

219) I. 458. A. cf. 270. A. II. 305. E.

220) I. 463. C.

altero domini adventu [221]) et in coelesti ecclesia certo futura sit, ut persolvatur, nulla veteris testamenti vaticinia, eventu prorsus destituta, inveniri, quinetiam omnia quae Judaeis non intellecta et prorsus abscondita in occulto jacerent [222]), in Christo, qui spirituales Israelis quasi calceos solvisset novaeque lucis facem accendisset, aut perfecta esse, aut tamen fore, ut ad certissimum et praeclarum eventum perducerentur [223]), contra Judaeos vehementissime con-

---

221) Ad vaticinium Joel. 2, 30. 31: „*et faciam prodigia in coelo etc.*“ — haecce addita sunt (II. 252. E): *Quamquam haec evenient in diebus Hiskiae et denuo iterabantur in diebus Zedekiae et in diebus Gog, sed in fine temporum absolute complebuntur* (מתמלין משמלמאית) *per adventum domini nostri primum et alterum.*

222) ad Jud. 7, 21. I. 319: *Lagenae vacuae, quarum in medio positae sunt faces: typum repraesentant synagogae Judaeorum in quibus prophetarum faces absconditae erant. Sed primum, ut contriti sunt* (Judaei) *cruce, apparuit splendor facium prophetarum per apostolos sanctos et implevit totam terram.*

223) ad Dan. 9, 24: „*et veniet ad implendam visionem et prophetam*“ leguntur: *Ipse enim* (Christus) *venit et doloribus suis implevit prophetas.* — Adv. Jud. III. 218. C: *Omnia*

tendit, qui vaticinia aut in legis mosaicae diebus jam completa esse putarent, aut de futuris quibusdam eventis, veluti de Hierosolymis instaurandis somniarent [224]).

---

mysteria eventu comprobata sunt (רָאזָא כלהון אִשתַּרְרוּ), *sed iste* (Judaeus) *negando insistit, idem illud verum esse. Quae futura erant, acciderunt, sed iste negat etiam, ea fieri incepisse. Typos, a prophetis adumbratos, implevit et perfecit salvator noster, sed populus durus et praeposterus jurat et in eo persistit, nondum nova evenisse, atque adeo omnia mysteria adhuc esse reservata. O stupidi, quousque sapere noletis! Accedite! Inquiramus justa ratione in prophetarum effata et videamus, utrum mysteria illa, quae elocuti sunt, eventum habuerint.*" — His peroratis, deinceps singula V. T. vaticinia atque typos Christi et Judaeorum futuri infortunii percenset omniaque jam in Christo ad finem esse perducta eventuque comprobata, ostendit. — Ceterum consulatur V. S. V. Hahn, qui sermonem illum praeclarum nostram in linguam reddidit et annotationibus instruxit, in Illgenii V. S. V. libro, qui inscripstus est: Historisch-theologische Abhandlungen. III. (Lips. 1824); imprimis p. 21 sqq.

224) l. l. p. 217: *Nunc vero, ecce, sibi excogitavit, reditum sibi concessum iri. Iste populus, qui deum lacessivit omnibus actionum suarum modis, ecce exspectat postulatque aetatem, qua futurum sit praemium. Prophetas lectitat, stupidus neque intelligit verba eorum; quasi is esset, qui de reditu perciperet, tollit vocem, clamans: fore ut Hierosolyma instaurentur! Audit* (famam illam) *iterum iterumque, quum exoptet*

36. Jam vero de divina illa contemplandi ratione, cujus quasi forma quaedam est ea interpretandi ratio spiritualis, quam primoribus quasi lineis modo adumbravi, ante disserendum esse mihi videor, quam in illa describenda ulterius progrediar. Fit enim passim apud Ephraemum, ut, quando mystica illa ratione utitur, hoc per Theoriam (בְּתֶאוֹרִיָא) fieri, dicatur. Hujus quidem generis exempla infra ponemus, sed, quo-

---

(eam), *sed caussam, ob quam illa eversa fuerint, filius hebraeorum ignorat. Magnam eorum* (Hierosolymorum) *fore gloriam, usque jactat; quomodo autem id transigendum sit, nescit; nomen eorum magnum fore, sibi persuadit, sed quonam* (cujusnam virtute) *magnum futurum sit, nescit. Fore, ut* (Hierosolyma) *salvata appellentur, dicit, sed quis ea salvare possit, non assequitur; fore, ut nomen gloriamque consequantur, addit dicitque delirans, sed quo et quomodo, reticet, quia mente rejectus* (destitutus) *est: incrassatum siquidem est cor ejus et Israel aggravavit aures suas, ne audiat quaecunque scripta sunt.* — Deinceps ostendit (219. E. sqq.), Hierosolyma, qui omnia spirituali ratione persolverit, per Christum denuo aedificata esse, omnemque vanam Judaeorum de futura sua gloria spem incassam fore: „*Disce igitur, Hebraee, dominum aedificasse Hierosolyma eorumque fortes muros exstruxisse eorumque filiis* (h. e. habitatoribus) *pace benedixisse.*“ —

niam in tota caussa plusculum est negotii, ut paullo altius repetatur et nonnulla praemittantur est consideratius. Maximopere enim virorum doctorum sententiae de verbi Theoriae significatione atque usu discedunt. Quodquum Diodorus Tarsensis, teste Suida, sub voce *Διόδωρος*, librum conscripsisset, cui titulus *τίς διαφορὰ θεωρίας καὶ ἀλληγορίας*, de quo nihil hodie exstat, fuerunt, qui exquirere studerent, inter utramque interpretandi rationem, quid discriminis posuisset Diodorus. Primum fuit Ludolphus Küsterus, qui in sua Suidae editione (I. 593), ad eum locum, censet, allegoriam a theoria hoc differre, quod haec, quae sensu abstrusiore mysticoque contineatur, in inferioribus subsistat neque in tam sublimi argumento versetur quam illa; utrique autem generi illud, quod Greaci *κατὰ τὸ ῥητὸν* appellant, esse oppositum. Sed haec Küsteri sententia, quum vaga esset, nec satis distincta, qui hac in re proximus ab eo fuit, Ernestius [225]), quicum fecerunt

225) In opusc. theol. p. 450.

Münterus [226]) et Augusti [227]), Diodorum de verborum illorum vi atque usu ita praecepisse declaravit, ut Theoria esset ea interpretandi ratio, qua res sensibiles ad spirituales ingenio et arte traducerentur neque igitur proprie interpretandi genus, sed ad usus populi comparatum et accommodatio rerum visibilium ad illustrandas res sacras et invisibiles; illud nimirum, quod Graeci etiam *φιλοσοφεῖν; φιλοσόφημα, φιλοσοφούμενον* dicunt; contra vero Allegoria, ex Ernestii sententia, Diodoro ea ratio visa est, qua res Christi sub verborum figuris revera abditae et de consilio spiritus sancti expressae, eruuntur. — Ego quidem vero longissime absum, fateor, ut magno illi Ernestio, cujus sententiae modo nos audientes praebuimus, indulgeam et adstipuler, quippe quum ipse scriptorum ecclesiasticorum de verbo Theoria sermonis usus aperte ei oppugnet. Quid enim, quod ipsa

---

226) l. l. p. 15.

227) In libro supra laudato de Eusebio Emeseno p. 106.

ea notione, quam verbo ἀλληγορεῖν, fere ex omnium quidem, qui post Origenis aetatem viguerunt, patrum auctoritate, suo jure tribuit Ernestius, ut nimirum dicatur tum, quum ex verbis alia quaedam mystica sive typica sententia revera in iis abdita, praeter literalem sensum dicatur, quid igitur, quod, hac ipsa notione distincta, altera potius vox Theoria apud omnes, quantum equidem scio, usurpatur, quod ex iis, quae paullo post monebimus, satis apparebit. Quodsi tamen, ut hanc caussam, de qua inter homines criticos ambigitur, ut potero, ante omnia conficiam, quid scripto Diodori fuerit argumenti quaeris, equidem, quantum conjectura licet assequi, quum de eo nulla monumenta loquantur, conjicio, illud maxime in eo positum fuisse, ut ostenderet, quantum differret inter veram Allegoriam, a Judaeis nec raro etiam ab ipso Origene propositam, qua literae veritas omnino negaretur, et inter eam interpretandi rationem, quam alii haud injuria eodem illo nomine Allegoriam, alii autem Theoriam appellant, qua, incolumi

quidem litera, in mysticum et typicum quendam verborum sensum, a spiritu sancto vere jam expressum et a scriptoribus sacris cogitatione comprehensum, inquireretur ac res sensibiles ad Christi oeconomiam, sed maxime ad mysteria ejus ac symbola traducerentur. Atque cum hac explicata nobis sententia conveniunt fere quae Valesius admonet ad Socratem [228]) hoc modo: „Mysticum et allegoricum sensum non attigit Diodorus. Hos enim sensus complectitur ἡ θεωρία." — Haec hactenus de Diodoro, quoniam id, quod mihi quam simillimum veri de interpretandi ejus ratione videtur, in superioribus (§. 19) jam diligentius est explicatum. Nunc vero illa verbi Theoria ratio an accurate fundata sit, ante omnia expendendum. Quare exemplis in unum collatis si effecero, interpretationem vere mysticam per Theoriam indicari, deinde paullulum subsistendum nobis erit et in ipsius vocis usum subtilius inquirendum.

---

228) H. E. 6, 3. I. 75. ed. Mog.

Exemplorum igitur agmen ducat Isidorus Pelusiota in literis ad Valentinianum presbyterum datis, ubi suam de allegoriis sententiam explicat et allegoricam, hoc est vere mysticam, interpretandi rationem sapienter adhibitam commendat. Ep. IV. 117. init. ed. Rittershus. p. 58: Ἔοικας — inquit — ἐκ ἀποδέχεσθαι τὲς ἐπὶ τὰς θεωρίας τὲς ἀναγινώσκοντας· παρακαλὲντας. E vestigio autem sequitur verbum ἀλληγορεῖν, eadem quidem ratione usurpatum. Ep. 202. fin. (p. 99) sibi opponuntur τὰ καθ' ἱστορίαν εἰρημένα et τὰ κατὰ θεωρίαν προφητευθέντα. — Origenes, qui omnibus in locis, spiritualem etiam sententiam latere censeat (p. 54), θεωρίαν moralem suam et practicam interpretationem, quae tamen revera est mystica, vocavit. Rosenmülleri Hist. interp. III. 115. — Cyrillus, Catech. XIII. c. 9: συνεληλύθαμεν ἐ γραφῶν ἐξήγησιν θεωρητικὴν (h. e. interpretationem allegoricam s. vere mysticam) ποιήσασθαι νῦν κ. τ. λ, — Andreas Cretensis (qui sexto aut septimo saeculo claruit) Orat. in Transfigurat. in Galland. Bibl. XIII. p. 116: φερε

δὴ καὶ τῶν ἀδύτων κατατολμήσας τὴν ἐγκεκρυμμένην τῷ λογῳ μυστικῶν θεαμάτων ἐκκαλυψω τὴν θεωρίαν. Atque has explicationes librorum sacrorum allegoricas, quibus aliud secundum literam vel historiam, aliud secundum mysterium intelligitur, a plurimis aliis etiam *θεωρίας μυστικὰς* appellari, inter multos ceteros testantur Ambros. L. de vid. T. I. p. 145. Philasterius de Haer. in Bibl. Bingh. T. IV. P. I. p. 51; itidem Jacobus Edessenus (cf. p. 97), qui suam libri Exodi explanationem mysticam et typicam vocavit: *Theoriam super sacrum tabernaculum*, תְּאוֹרִיָא עַל מַשְׁכְּנָא קַדִּישָׁא. Eandem vero rationem apud Ephraemum deprehendis, qui ad locum Gen. 15, 17 (I. 162 E), praemissa ea historica interpretatione, quam annot. 18. extr. transcripsimus, pergat hoc modo: *Sed secundum Theoriam sensus porro nobis erit hujusmodi* (וַאיךְ דבַתְאוֹרִיָא דֵין הֹכַנָא תוּב נֶהוֵא לַן סוּכָלָא): *Etenim per duodecim animalium et volucrum membra duodecim tribus adumbrat utque in his duodecim apostolos;* relic. — ad Zach. 6, 13. II. 294 fin.: *Quadrant spiritualiter* (רוּחָנָאִית) *ad Messiam*

ea omnia, quae dicta sunt de Serubabele typice (טופלנאית) *Arcane* (רמוזנאית) *igitur ad Messiam traducantur per Theoriam* (בתאוריא), *quum ipse sit verus Oriens et splendor de Patre, qui exortus est nobis secundum carnem cujusque nomen vocatum est Oriens.*

Cognovimus jam rei, quam primum quaesivimus, multa exempla; nunc, quae verbi θεωρία origo fuerit et vis et usus accuratius admodum exponi debet; idque nobis in hoc disputandi genere restare unum puto. Atque ejus quidem vocis origo ex arcana Graecorum disciplina est repetenda: θεωροὶ enim dicti sunt, qui in arcanis initiati fuerunt; atque hic est proprius et antiquissimus verbi θεωρεῖν usus, ut de iis dicatur, qui ad mysteriorum contemplationem sunt admissi [229]). Inde autem emanavit verbi θεωρία vis atque usus apud ecclesiae scriptores graecos. Est enim coelestium meditatio sive rerum divinarum et spiritualium, quae

229) Consulatur Vir Perillustris ac Summe Colendus Lobeck in Aglaophamo, sive de Theologiae mysticae Graecorum caussis, libr. III. T. I. p. 14, ann. [a].

oculis non sunt subjectae, dei igitur et imprimis etiam mysteriorum arcanarumque Christi sancta contemplatio; quae, ad libros sacros si adhibeatur, in spirituali illa interpretatione est posita, maxime tamen ad quaestiones speculativas et dogmaticas pertinet. Atque sic apud Eusebium Caesareensem ad Psalmos sublimis ea ratio, qua deum et divina contemplamur, appellatur *ἡ θεωρία τοῦ κυρίου* [230]), sive *τῶν θείων θεωρία* [231]); utitur etiam verbo *τεθεωρημένος* hoc est *contemplandi s. speculandi more* [232]). Similiter Theodoretus dicit [233]) ad Ezech. 1, 2: Prophetam coelum apertum vidisse *οὐκ ἀληθείᾳ καὶ πράγματι, ἀλλὰ πνευματικῇ θεωρίᾳ.* Jam vero pridem vox illa a Graecis ad Syros transmigravit et exemplorum magna est farrago, licet ne unum quidem a Lexicographis sit notatum. Est igitur תֵּאוֹרִיָא, pluraliter תֵּאוֹרִיאַס, teste Gre-

230) Montefalc. Coll. I. 716.

231) ib. p. 606. E.

232) ib. p. 326. B.

233) Opp. ed. Schulz. II. 2. 680.

gorio, Abba Palaestinensi (circa 390) *divina visio s. contemplatio* (חֶזְוָתָא אַלָהָיְתָא). Scripsit enim contra Gnosticos, ut videtur, qui contortam speculandi rationem consectarentur: *Sermonem de sancta Theoria, quae syriace visio divina interpretatur, quoniam multis conari placet, verbis contextis depravatis et contortis, falsas statuere opiniones, per suam verborum compositionem praeposteram nec veram* [234]). Plenius apud Ephraemum dicitur: *Theoria rerum coelestium et spiritualium, quae sunt invisibiles* (תְאוֹרִיָא דַשְׁמַיָנָיָתָא וְרוּחָנָיָתָא דלא מֶתְחַזְיָן II. 200. A); atque alias noster interpretatur vocem hoc modo: חֶזְוָתָא רוּחָנָיְתָא דְרָאזֵא h. e. *visio spiritualis mysteriorum.* I. 458. E. F. —

Divina autem contemplatio a spiritus sancti efficacia pendet (I. 434. F); quod et ex epithetis, quibus eam ornare solent, praesto est. De-

234) Assem. B. O. I. 173. 7. מֵאמְרָא דְעַל תְאוֹרִיָא קַדִּישְׁתָא דְמֶתְפַּשְׁקָא סוּרְיָאִית חֶזְוָתָא אַלָהָיְתָא מֶטֻל דְסַגִּיאֵא צָבֵו דְבִמְלֵא זְלִימָתָא וּבַהְפִכְתָא דַגְלָתָא בְעַו דַנְקִימוּן בְיַד רוּכָב מֶלַיְהוּן תַרְעִיָתָא

claratur enim apud Ephraemum (I. 351. A) ad summum spiritus contemplationum fastigium (לרומא דתאוריאס דרוחא) prophetas ascendisse; incurrunt etiam loci ubi appellantur: תאוריאס אלהיתא I. 454. C. sive ת' רוחניתא II. 287. A. Inde etiam septem illae operationes gratiae sive spiritus sancti, quibus deus aut spiritus s. ad salutem adducit (שבע מעבדנותא דרוחא קדישא Ephr. II. 290. B. Jacob. Edess. ib. 287), quas veteres scriptores dogmatici, quemadmodum Cabbalistici judaici singulas dei vires et virtutes separatas ad numerum quendam sacrum, ut ternarium vel septenarium denariumve revocatas, ex loco Jes. 11, 2. male intellecto derivarent, ab Ephraemo nominatae sunt (II. 290. A.): שבע תאוריאס רוחניתא *septem contemplationes spirituales.*

Est vero theoriae sive contemplationis divinae duplex ordo; in altero supremo insistunt naturae intelligibiles, sed incorporeae, ecclesiam intelligibilem constituentes (§. 34), quae divina percipiunt sine medio, a Deo ipso. Alterum obtinent intelligibiles quidem, corpore tamen praeditae

naturae, sancti igitur sive religionem Christianam profitentes, in ecclesia terrestri versantes, qui ad divina Christo mediatore ascendunt [235]). Hujus autem utriusque Theoriae ordinis diversi etiam sunt gradus, idemtidemque Theoriae appellati. Primi igitur, sive intelligibilium corporisque expertium substantiarum ordinis, qui deum et divina sine medio contempletur, quum ipsum Sanctum Sanctorum sit ingressus et suprema Theoria, quae est Dei, gaudet, tria sunt

235) ad 1 Regg. 4, 22 sqq. (hebr. 5, 2) I. 453. F: *Mysterium* (רְאָזָא). *Quoniam ad victum palatii Salomonis comportari vides similam et farinam, boves et pecuda, cervos et capras et gazellas rufas et aves pingues: primum quidem sume tibi in simila typum vigilium* (angelorum); *qui sine velamine divina contemplantur et digni aestimati sunt, qui perciperent mysteria a Deo sine intercessione aliorum; atque hi quidem similae sunt comparabiles eo, quod liquida et clara luce illustrantur, tum quod in natura sua puri sunt, omnis maculae et concretionis expertes, quales esse credimus Seraphim et Cherubim. — Qui autem farinam, cum furfure commixtam, comedunt, ii sunt, qui nondum eo pervenerunt, ut claram lucem acciperent; etenim nondum puram perfectamque omnino mentem nacti sunt; sed adhuc obumbrat eos velamen tamquam furfuris instar; sicuti farina, nondum a furfure suo purgata. Hi sunt qui in secunda Theoria versantur.*

fastigia. Etenim quemadmodum a summa Dei contemplatione aut propiores aut remotiores absunt naturae coelestes, ita altius aut inferius contemplationis fastigium assequuntur. Quartum obtinent naturae intelligibiles sed corporis participes. Quinta denique ac suprema Theoria Dei est ipsius, qua se ipse operaque sua contemplatur itidemque naturae coelestes, ut vidimus, collustrantur [236]). Verum idem ille quartus Theoriarum gradus, in quo substantiae intelligibiles et corporeae, sive Sancti procedunt atque ad divinarum rerum contemplationem per media gratiae septemve opera-

---

236) I. 229. C: *Mysteria tabernaculi omnia significant sensum mysterii opificis ejusque operis. Decem cortinae byssinae* (intima tabernaculi adyta velantes) *adumbrant Theoriam primam intelligibilium* (naturarum); *undecim cortinae pilosae significant Theoriam secundam intelligibilium; velamentum capreae rubrae innuit theoriam tertiam naturarum intelligibilium. Haec igitur tres theoriae sunt naturarum intelligibilium, sed corporis expertium. — Et pellis capreae coccinea desuper, significat theoriam tertiam intelligibilium naturarum corpore praeditarum. — Theoriam autem magnam opificis, omnes illas* (relicuas theorias) *superantem, significat arca argenteu in medio Sancto Sanctorum januae adversa.* —

tionum spiritus sancti sive per Christum mediatorem accedunt (I. 434. F), triplex etiam est. Quodquum ecclesia terrestris, quam naturae illae constituunt, vel perfectos vel justos vel poenitentes tantummodo complectatur, relicuorum autem hominum turba, peccatoribus (חַטָּיָא) adnumeretur[237]), primam Theoriam obtinent perfecti (גְמִירָא), sive qui medio in templo versantur (גַוָּיָא); atque hi, tamquam a natura coelesti proximi, jam divina sine medio a Deo ipso percipiunt, veluti Apostoli. Alteram deinde nacti sunt justi (כַּאנָא), sive qui medio in templo progrediuntur (מְצִעָיָא). Tertium denique vel infimum Theoriae gradum tenent poenitentes (תַּיָּבָא) et qui extra templi fores stant (בַּרָיָא s. דְקָימִין לְבַר מִן תַּרְעָא)[238])

---

237) I. 232. C. 252. A. 256. D. 455. A. B.

238) I. 230. F: *Quod ad tria velamina, quae ibi* (in sancto) *sunt, ex hyacintho texta et purpura et colore coccineo tincta et bysso neto, attinet: intra sanctum sanctorum primum est velamen et in porta tabernaculi secundum velamen et in atrii porta velamen tertium. His adumbravit* (propheta) *mysterium Emanuelis; per eum enim ingrediuntur intimi* (גַּוָּיָא) *ad theo-*

37. Sunt exposita jam fere ea, quae de spiritualis interpretationis universo argu-

---

riam divinam et per eum ingrediuntur medii (מְצִעָיָא) *ad contemplationem magnitudinis; et per eum accedunt exteri* (בָּרָיָא) *ad septum atrii intelligibilis; secundum illud, quod locutus est dominus in Evangelio: ego sum janua; janua quidem interius perfectis, media justis, extera peccatoribus sive poenitentibus.* — ad 1 Regg. 6, 5. I. 459. B: „*Et aedificavit super parietes templi tabulata circumcirca. Infimi latitudinem fecit quinque cubitorum; medii latitudinem sex cubitorum et tertii latitudinem septem cubitorum.*" *Mysterium eadem ratione* (sc. qua supra segm. A. et p. 454. cf. ann. 236) *sanctorum theorias significat. Nimirum in infimo gradu insistunt ii, qui ab intelligentia mysteriorum* (רְגוּשׁוּתָא דְרָאזָא) *adhuc remotiores sunt; in medio ii, qui ad deum magis accedunt ejusque lumine praeclare collustrantur, ii vero, qui in supremo versantur divina sine medio* (דְּלָא מְצִעֹרוּתָא) *contemplantur.* — I. 454. B. (cf. ann. 236): *Qui tauros saginatos comedunt, eos esse credimus, qui jugum rerum saecularium nunquam tulerunt vel postquam illud tulerunt, tamen ad jecerunt illud et nacti sunt eam libertatem, quam Messias nobis conduxit. Namque hi, quoniam caliginem rerum saecularium depulerunt, digni habiti sunt, quorum mens irradiationibus mysticis passim adspergeretur, sed non impleretur. — Eadem ratione volucris eorum typum gerit, qui omnia humana praetervolant et ad summum divinarum theoriarum fastigium ascendunt; hi scilicet Apostolis comparabiles sunt. — Ii scilicet, qui perversis moribus adhuc adhaerent, in gradu boum insistere hic aestimantur, cujusmodi sunt homines adhuc reprehendendi, qui nondum a se absciderunt* (rejecerunt) *curas et cogitationes profanas mundi;*

mento; quaeque de Theoria, cujus quasi formam illam diximus, explicanda erant. Verum ab illa jam confecto nobis disputandi genere, quod satis scio multis quidem molesta ac putida videri, ad relicua minus odiosa pergamus. Nempe igitur restat, ut, quum de duplice totius V. T. sensu, et literali et spirituali, si a paucis locis discesseris, qui unum sensum tantummodo fundant (§. 30), constet, de priore, sive de spirituali aliquanto accuratius dicatur. Jam vero sensus spiritualis, a vulgari simpliceque ratione deflexus, revera etiam generatim dici potest *allegoricus* (§. 36), itidemque *mysticus.* Quodquoniam *mysticum* in universo est, quidquid difficiliorem intellectum spe-

---

quadrupedorum nempe sunt similes, quorum corpora prona sunt et terram perpetuo intuentur. — Qui vero indoles (pr. proprietates) *agnorum mundorum sunt, nacti; ii sunt, qui mansuetudine et simplicitate atque innocentia morum suorum Messiae comparabiles exstiterunt. — Et ad extremum posita sunt animalia agrestia, nimirum gazellae rufae et caprae. Typum vero gerunt filiorum regni dei.* — Quum omnia de sancta Theoria sint exposita, jam simillimus Eusebii Pamphili locus patet ad Psalm. Montefalc. Coll. I. p. 716.

ciemque secreti habet, sive a natura ipsa involutum est, sive reconditis quibusdam continetur doctrinis, seu ob verborum obscuritatem majorem minoremve pro captu audentium [239]): mysticum sensum vocamus, si eo, quod dicitur, aliud simile tectum et occultum, de consilio spiritus sancti revera jam significatum et expressum, latet. Quodsi sensus ille ad altiora mysteria et imprimis si ad ecclesiam coelestem (§. 34) traducitur, ex Origenis auctoritate [240]), dici potest *anagogicus*; quamquam a mystico apud alios scriptores non differt omnino [241]); nisi mystici forte quoddam sublimius *anagogicum* et *theoreticum* appellatur [242]). Atque hujus interpretationis spiritualis, — etenim hanc appellationem jam retineamus, quippe quum

---

239) Lobeckii Aglaophamos etc. I. 85.

240) Guerike: de Schola quae Alexandriae floruit. P. I. (Halis Sax. MDCCCXXIV.) p. 60. — Hagenbach in Observtt. circa Orig. supra laudatis. p. 27.

241) Glossae Gr. Lat. Ἀναγωγικός, mysticus

242) Gregor. Nazianz. Or. XLII. 684: *τὰ ἄγαν θεωρητικὰ καὶ ἀνηγμένα.*

vocabula *spiritualis, mystici, allegorici, anagogici* vices inter se permutent saepeque indiscreta sint; illius igitur interpretationis spiritualis forma apud Ephraemum triplex est: quarum prima eo est descripta, ut scripturae sacrae mysterium (רָאזָא), sive argumentum propheticum, quod toti illi inesse supra (p. 125) vidimus, ex effatis et imprimis vaticiniis, proprie sic dictis, explicetur. Conficitur forma altera eo, quod res ita intelliguntur, ut simul propheticam significationem habeant et futuras res praefigurent; atque haec altera, quae late patet, vere est et a nostro ipso appellatur *typica*, quamquam iis locis etiam, qui in prius illud genus conveniunt, futurarum Christi rerum typum inesse saepe dicitur, quoniam omne V. T. novi Foederis typus est et figura (ann. 155). Tertiae, ut res physicae, vel historicae vel vulgari vita depromtae, tamquam idearum, quae ad religionem et moralem hominum conditionem spectant, imagines et involucra accipiantur, est definitio; hanc scilicet formam, si induerit interpre-

tatio spiritualis, veri nominis est, ut Origeni nos accommodemus, *tropologica*, sive *tropica*, si Chrysostomi, qui illam formam omnino etiam ἀλληγορίαν vocat[243]), sive Theodoreti usum sectemur, qui tamen typicam a tropica ratione probe discernit ac centies, quando morales et, quae ad piam animam valent, sententias explicaverit, τροπικῶς interpretari se profitetur. Formae igitur, primo et secundo loco positae, magis sunt prophetici argumenti; exstrema usui populi est accommodatior. Ex qua partitione tria genera nostrae disputationis extiterunt; unum quod dictorum et imprimis vaticiniorum, proprie sic dictorum, interpretationem Ephraemianam sectatur; typicae interpretationis alterum, quod multas quidem habet proprias voces et appellationes; tertium tropologicae. Quamobrem de primo primum disputabo.

38. Atque hoc memorabile est, quod prope omnes locos (§. 30), qui classici inter

243) ad Jes. 5. Opp. ed. Montefalc. VI. 54. 55.

vaticinia numerantur, mystice tantummodo, sed vere quidem, ad Christum pertinere censuit; historice tamen, minus quidem vere, quemadmodum, ut supra ostendimus (ann. 196), existimavit, ad synagogam referendos esse, manifeste declaravit. Est igitur interpretatio ea, quae a Theodoreto, etsi ipse eam alias sectatur, tamquam judaica, vehementissime saepe exprobatur. Quae vero in antecedentibus (§. 64) sententia nobis placuit, Judaeos ante aetatem Ephraemi, allegorica, cui adhaesissent, interpretandi ratione relicta, solam literalem, at contortam tamen, methodum adhibuisse hujusque rationis non immunes fuisse Aramaeos, ne temere nobis lata atque omnibus argumentis vobis destituta videretur, ibi jam promisimus, in hoc disputationis, cui nunc insistimus, loco, nos exempla, quibus illa firmaretur, esse allaturos. Loquantur igitur Eusebii Pamphilii et Chrysostomi testimonia, quae in eum finem infra subscribamus [244]).

244) Eusebius ad Psalm. 69, 24. Montefalc. Coll. I. p. 380. D: Τὴν πρόχειρον τῶν θείων γραφῶν ἀνάγνωσιν

Atque ita fiebat, ut Theodoretus eam rationem, Ephraemo etiam consuetam, qua vaticiniis, praeter mysticam etiam propria et historica quaedam sententia inesse putatur, tamquam judaicam, acerbissime saepe vituperat et respuit. Hujus autem generis exempla nonnulla hic adjungere placet. Ad verba apud Jes. 28, 16 (II. 68. D) exstantia: *„En ego ponam in Sione lapidem probatum, angularem pretiosum"* interpretatur Ephraemus hunc in modum: *Etsi hujus dicti typus in Hiskia adumbratus est, tamen*

προαγορεύει ἔσεσθαι αὐτοῖς εἰς παγίδα καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον. — — — σκανδαλίζονται γὰρ ἐντυγχάνοντες ψιλαῖς ταῖς λέξεσι, καὶ μὴ συνιέντες τὴν ἐν αὐταῖς θεωρίαν. — In Jes. 3, 2. II. 367. D: Ἰουδαῖοι ἔχουσι μὲν τὸν ἄρτον καὶ τὸ ὕδωρ ἔτι· πολυπραγμονοῦσι γὰρ τὰ Μωσέως γράμματα, καὶ ἀναγινώσκουσι τὸν νόμον· ἐπειδὴ δὲ γινώσκουσιν οὐδὲν, οὐκ ἔχουσι τὴν ἰσχὺν τοῦ ἄρτου, οὔτε μὴν τὴν ἰσχὺν τοῦ ὕδατος· ψιλὸν γὰρ αὐτοῖς καὶ μόνον τὸ γράμμα δέδοται κ. τ. λ. — — — p. 368. init. καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ἀφῃρῆσθαί φαμεν ἐκ τῆς Ἰουδαίων συναγωγῆς ἰσχὺν ἄρτου καὶ ἰσχὺν ὕδατος· καὶ λόγος ἐστὶ μυστικός. — Sic apud Chrysostomum ad Psalm. 113. Opp. ed. Montefalc. T. V. p. 300. Judaei appellantur: Οἱ ἀναίσθητοι Ἰουδαῖοι, καὶ πρὸς τὴν σάρκα κεχηνότες ἀεί.

veritas ejus in domino nostro est perfecta. Ipse enim est lapis pretiosus, qui natus est a virgine. Theodoretus (II. 1. 301), qui in hanc interpretationem invehitur, his verbis est loquens: Ἀνοίας ἐσχάτης εἶναι νομίζω, τὸ ταύτην τῷ Ἐζεκία προσαρμόζειν τὴν προφητείαν. — Ezech. 37, 21—28: „*Et servus meus Davides regnabit super eos.*“ Ephraemus addit: *Servus meus Davides, nimirum Serubabel, regnabit super eos. Quadrat autem verissime* (שׁלְמָא דִין שַׁרִירָאִית עַל) *ad Messiam, qui in suo per carnem adventu mundum liberavit.* Theodoretus (II. 2. 1001): Εἰπάτωσαν οἱ Ἰεδαῖοι, τίς ὁ αἰώνιος αὐτῶν βασιλεὺς Δαβὶδ προσαγορευόμενος· ὅτι μὲν γὰρ ἐδαμῶς τῷ Ζοροβάβελ ἁρμόττεσιν αἱ τοιαῦται προσαγηγορίαι, καὶ αὐτοὶ ἂν συμφαίησαν κ. τ. λ. — Ezech. 17, 23: „*In monte alto eum plantabo — — et fiet cedrus nobilis*“ etc. Ephraemus notat: *Ligna cedrorum electa* (mystice) *principes familiarum tribus Judae designant, per quos propagabatur semen benedictionis et botrus misericordiae. Rursus alio sensu electissima cedrorum* (ligna) *adumbrant Josuam sacerdotem et Seru-*

babelem. Theodoretus (p. 804): *Ἀληθῶς οἶκος παραπικραίνων ὁ Ἰσραὴλ, καὶ ὀφθαλμὲς ἔχεσι, καὶ ἐ βλέψεσι, καὶ ὦτα ἔχεσι, καὶ ἐκ ἀκέεσι. — — — εἰ γὰρ περὶ τἕ Ζοροβάβελ ταῦτα εἰρῆσθαι φήσαιεν, δειξάτωσαν ἐν ποίῳ ὄρει ὁ Ζοροβάβελ ἐκρεμάσθη κ. τ. λ.* — Amos. 9, 11. sqq. „*Eo die erigam tugurium Davidis collapsum*" etc.: *Typus dicti fuit tempore reditus; sed veritas ejus in diebus crucis.* — v. 13: „*et assequetur area vindemiam*" —: *nimirum in diebus Serubabelis. Sed secundum sensum sublimem spiritus, verba declarant dona divina et coelestia charismata.* — „*Et omnes montes fluent dulcedine*" —: *Montes vocat doctores Judaeorum, qui post reditum e captivitate, diebus Serubabelis, docebant dulcedinem doctrinae legis populum; rursus montes hic vocat ecclesiam;* relic. Theodoretus (p. 1446): *ταῦτά τινες εἰς τὸν Ζοροβάβελ ἐξέλαβον. — — συνιδεῖν δὲ ἐκ ἠθέλεσαν — — ὡς ἡ προφητεία αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπαγγελίαν περιέχει, καὶ τῶν ἐθνῶν ἁπάντων τὴν εἰς Θεὸν ἐπίγνωσιν, ὧν ἐδὲν τοῖς ὑπὸ τἕ Ζοροβάβελ γεγενημένοις συμβαῖνον εὑρίσκομεν.* — Jam si quis hoc genus vaticinia interpretandi penitius cognoscere

cupiat; magnam exemplorum turbam inveniet Gen. 3, 15. I. p. 135. 136. cf. p. 36. A. Deut. 18, 14. 15. I. 227. E. 2 Sam. 7, 12 sqq. ib. p. 404. Jer. 23, 1—8. II. 136. Ezech. 34. fin. Dan. 2, 44. p. 206. D. Joel. c. 2. et 3. Micha 1, 2 sqq. etc.

39. Quibus tamen in vaticiniis explanandis eo peccavit saepenumero, quod in uno eodemque orationis tenore, in eodem etiam Prophetiae versu, historica et prophetica permixta putat atque alia κατὰ ῥητὸν, sive ex sermonis Ephraemiani usu (§. 30), uno arcano sensu, alia mystice tantum ad Christum pertinere censet. Huic generi sunt adnumeranda quae sequuntur. „*Etsi*—" inquit ad Jes. 9, 7. II. 36. D. — „*ex his nonnulla ad Hiskiam pertinent, sunt tamen alia quae ad illum nullo modo quadrant.*" Versum primum igitur uno arcano sensu ad Christum refert; versum tertium et quartum vel ad Hiskiam vel ad Christum; versum quintum unice ad Christum. Utrumque autem hujus versus extremum verbum: „*prin-*

ceps, pater" — ad Hiskiam etiam pertinere posse dicit. Rursus verba proxima: „*et pacis ejus non erit finis*" ad Christum tantummodo, relicua autem omnia vel ad Christum vel ad Hiskiam traducit. — Vaticinium Jes. 11, 1—9 (II. 40.) de uno Christo intelligit, excepto tamen versu decimo, quem ad Hiskiam itidem quadrare affirmat. In loco Jes. 40 (II. 85.) labitur in hanc sententiam: versus primi et secundi argumentum etiam a synagoga esse adumbratum, contra versum tertium ad sextum usque de uno Christo porroque versum septimum de Judaeis etiam loqui. — Zach. 12, 1—9. (II. 304.) vel ad Judaeos vel ad Christum verba transferuntur; e contrario autem alterum versus decimi hemistichium unice Christo, alterum, inde a verbis „et adspicient ad me" Macedonibus etiam accommodari posse affirmat. — Zach. 13, 1. (306. F) obvio sensu de Judae Maccabaei aetate accipitur, at vero versus quartus quaeque proxime incurrunt, de uno Christo et rursus versus septimus de Onia sacerdote historice intelligitur. — Plura si

vis cognoscere, hos inspice locos: Jer. 30, 19. 20. II. 140. B. Hos. 3, 9. p. 239.

Hujus, quam exemplis modo monstravimus, vaticinia interpretandi rationis, reprobandae sane ac vituperabilis, gravissimi censores exstiterunt Theodorus Mopsvestenus et Cosmas Indicopleustes. Quamquam de his jam ante (p. 73 sqq.) disseruimus. Eodem autem lapsi sunt, quorum methodus ad Ephraemianam magis accessit, quemadmodum infra monstrabimus, Chrysostomus[245]) et Theodoretus. Quorum alterius vero rationis luculentum exemplum, quod hic sufficiat, prodit explicatio loci Zach. 9, 1 sqq. (II. 2. 1633), quo interpretatur in hanc sententiam: inde a versu primo ad octavum usque prophetiam quidem ad certum finem jam pervenisse sub Maccabaeis (*ταῦτα μέντοι καὶ ἐπὶ τῶν Μακκαβαίων τὸ τέλος ἐδέξατο*), verumtamen exactum vaticinii exitum post salvatoris nostri adventum esse patefactum

245) De Chrysostomo audiatur Rosenmüllerus in Hist. Intp. III. 278; de Basilio Ernestius l. l. p. 462.

(ἡ δὲ ἀκριβὴς ἔκβασις τῆς προφητείας μετὰ τὴν τȣ̃ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφάνειαν ὤφθη). E vestigio autem quae sequuntur ad versum duodecimum usque de uno Christi explicanda putat (περὶ αὐτȣ̃ ταῦτα προθέσπισεν ὁ προφήτης καὶ ἔλαβε σαφῶς ἡ προφητεία τὸ τέλος) et Judaeorum stuporem admiratur, qui hanc prophetiam de Serubabele impudentissime interpretari conentur. Deinceps vero versu tertio decimo mystice quidem omnia ad Christum refert, tamen etiam quasi in typo sub Macedonibus completa esse statuit (ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν Μακεδόνων, ὡς ἐν τύπῳ, πέρας ἔσχεν ἡ προφητεία).

40. Quoniam de vaticiniis diximus, exponamus vobis nunc, quem ex tribus secundum proposuimus quaestionis locum, in quo de Ephraemi typologia agitur; de qua, tametsi in superioribus eam passim jam attigimus, tamen nunc, quum locus postulet, separatim est dicendum. Neque enim effata solum illa et vaticinia salutem per Christum nobis reparatam praenuntiant, verum propheticum argu-

mentum, quod tota habet scriptura sacra, in eo etiam versatur, quod tota synagoga *umbram* sive *typum* [246]) gerit ejus quod est in Christo,

---

246) Hujus generis propriae sunt multae formulae ac voces. Dicendum quidem est omnino, nullum apud Syros exstare vocabulum, quod, secundum vim suam propriam ac proximam, *typum* sive imaginem, qua res futurae prophetice figurantur, significet. At maxima tamen ostendit se exemplorum copia, quae ex derivata quadam notatione, *typi*, proprie sic dicti, sensum exprimunt. Multa jam, neque tamen satis omnino distincta et disposita, diligentissime notavit Nicolaos Wiseman in Horis suis syr. inde a pag. 16. Quantum vero ad rem nostram pertinet, singulas voces, ad quas maxima est cautio adhibenda, ordine disponamus. 1.) Omnium igitur frequentissime occurrit vocabulum טוּפְּשָׂא, quod graeco *τύπος* utique respondet et variis instructa significationibus redit, quemadmodum evicit vir doctus ille p. 24. Unum tantummodo hoc adnotaverim, quod Ephraemus verbo טוּפְשָׂא seq. ד' etiam tamquam adverbio (*sicut*) utitur. II. 442. A. 468. B. itemque בטוּפְשָׂא ד' I. 7. E. Jam vero ad vocabulum illud, ut typum, strictiore sensu cogitatum, exprimere possit, aliud quoddam, quo accuratius significetur, accedere oportet. Exemplum prodit locus I. 173. F: „*Describunt quasi specie quadam* וקַדִימוּת טוּפְשָׂא מְדַתוּיִבִיתָא דַמְשִׁיחָא *et praefigurata Christum referente imagine*. Deinceps vero vocabulum *Tupsa* etiam nude positum, typum, quem vere sic dicimus, significat. Praeter locos quos in unum collegit Wiseman, inspicias, qui ad demonstrationem maxime idonei sunt, hujusmodi: I. 333. B.

ejusque oeconomiam omnia, quaecunque in ea apparuerunt, specie quadam ac prae-

---

336. E. 411. F. 556. C. 557. C. II. 11. B. 125. B. 250. B. Sic etiam invenies formam Adv. טופשנאית II. 289. E. 295. E. Verbo טפש apud Castellum ex Bar B. adscriptum est: *confugit, opitulatus est*, nullo exemplo addito; huc pertinet tamen locus ex Ephr. Homiliis depromtus ap. Assem. B. O. I. 98. no. 41: ברחמיך טפש אנא *ad tuam misericordiam confugio.* Sed quemadmodum forma Ethpeh. אתטפיש, verbo טפש a Castello adnotata, ad formam פוש pertinere videtur, sic illam verbi, primo loco positi, significationem nisi ab altero non translatam esse, verisimillimum est. Ceterum verbum illud, si formam Pahel induerit, vere denotat: *formaro, fingere*, de artifice dictum I. 395. C; deinde si cum verbo קדם componitur, sensum habet *praefigurandi*; v. c. I. 449. E: *Quatuor viri* קדמו טפשו לן *praesignant* s. *praefigurant nobis* etc. — Sequitur verbum ראזא vel ארז (I. 213. A. B) ארזא (I. 219. C. 243. A), quod mysterium omnino significare scitum est; tamen arctiore sensu intellectum etiam typum, ea, quam indicavimus, ratione designat. Multa exempla coercervavit Wisem. (p. 42.); alia haec sunt in promtu: I. 153. A. 294. C. 301. D. 324. A. E. 325. C. D. 328. B. 359. C. E. F. II. 3. B. 82. D. 250. B. 258. A. 289. A. 311. A. 317. B. 325. A. 326. A. III. 150. A. 311. A. 243. A. Adverb. ראזאנאית I. 229. B. 231. E. 317. 336. E. 346. C. 369. A. 467. B. II. 27. B. 129. F. 145. C. 252. C. 295. D. 306. F. Adject. ראזניא, fem. ראזניתא *typicus, typica.* I. 227. D. 309. B. — Deinceps est verbum נישא (hebr. נס) pr. id quod *elevatur* sive *erigitur*, ut omnibus conspicuum sit; speciatim *signum* (vexillum) erectum. III. I. A.

figurata imagine prophetice describunt. Typorum autem mysterium (רָאזָא) hoc est

---

[cf. Chresth. syr. ed. Hahn. p. 128. ann.] 129. B; hinc *meta, finis* I. 441. F. 449. F; deinde *signum, exemplum* sive quo quis admonetur III. 253. B (*ratio* etiam II. 12. E), indidemque *metrum et regula* [cf. Wisem. p. 31.] sive *signum* (v. c. frontibus) *impressa* II. 96. B; atque inde *sch'mohe d'nische* sunt puncta vocalia; cf. Wisem. l. l. Denique vero *signum* distinctius usurpatur de *imagine typica*. I. 208. C. 214. F. 219. E. 231. E. 400. B. 497. C. — 2.) Alia nomina nunc breviter recenseantur, quae *typos* improprie magis significant; veluti צַלְמָא I. 201. F. 283. C. II. 483. E. — אָתָא I. 201. F. 247. — דמוּ [III. 57. D], דמוּתָא I. 112. F. 208. C. 223. E. 231. A. 254. B. 321. A. II. 12. B. 514. D. Assem. B. O. I. 180. 234. — דוּמְיָא (pr. *similitudo, imago* III. 129. D.) speciatim *typus* III. 154. F; pluraliter דְמוּתָא *typi* II. 514. D. — פַּרצוּפָא προσωπον; hinc *persona* I. 2. B. 30. C. 138. E. II. 86. C. sive *facies* II. 448. D; denique *typus* II. 30. D. [praeterea etiam *species* II. 132. D]. — A Wisemano [p. 48] male huc refertur שׁוּדָעָא, quod non est *figura ipsa*, sed passim *symbolica* s. *typica significatio* I. 466. Sever. Antioch. II. 242. D. proprie *significatio* II. 134. C. (de *signis* coeli igneis I. 125. E). Est autem memorabile, quod vox שׁוּכָלָא h. e. *sensus*, nullo quodam additamento adjecto, etiam sensum *typicum* significat. I. 263. E. 268. C. 289. B. II. 75. E. — De nominibus igitur posui equidem exempla fere omnia; multa scilicet verborum formae restant, quibus typicam dictorum rationem indicat. Sunt autem ea fere, quae adjungam. Primum est verbum צוּר, אֶתְצַיַּר, *typice adumbravit, adumbratus est* (pr. *finxit.*) I. 162. F. 163. A. 251. F. 327. A.

abscondita eorum veritas et perfectio in Christo fuit, qui omnium typorum sensum

---

359. F. 443. A. II. 12. B. 145. B. 288. D. Plenius autem dicitur rem aliquam *typice adumbrare* alteram (בטופשׁא צאר II. 65. A. cf. I. 20. E 229. B. 317. B.) sive *spiritualiter adumbrare typum rei christianae* Jac. Edess. I. 243. med. II. 288. D. cf. II. 12. B. 303. D. — אתרשׁם, רשׁם *adumbravit* h. e. *typice descripsit* I. 61. A. 82. D. 114. F. 150. B. 173. F. 232. D. 233. D. 315. B. 367. D. II. 292. D. III. 89. F. 159. E; plenius et clarius autem dicitur: *typum alicujus rei describi* (טופשׂה אתרשׁם) II. 94. A. I. 61. B. — פחם אתפחם pr. *comparavit*, deinde: *comparatione typica designat.* I, 241. F. Etpeh. II. 12. B. 17. B. 18. A., plenius פלאתקאית אתפחם II. 310. B. — 3.) Expositis omnibus fere formulis ac vocibus, quibus tamen significandi figurandique vis proxima inest, jam sequantur ea verba, quibus ad typos indicandos multo improprius utitur. Primum est רמז pr. *indicavit, innuit,* id quod saepe ab Ephraemo usurpatur, si quid historice refert ad rem aliquam. I. 2. C. 239. F. 479. F. II. 40. E. 61. E. 129. A. 235. E; deinde *typice innuit* I. ,232. F. 240. B. 452. B. 461. A. II. 61. E. 82. C. 267. B; id quod plenius esset secundum locum I. 450. B: איך דבטופשׂא רמז *quasi typo innuit.* — חוי חויא, saepe redit significatu: *per typum praesignificandi.* I. 129. B. 321. B. 359. E. 556. E. II. 4. F. 65. A. Plenius ברמזנאית חוי *per nutum* (arcanum) h. e. *arcane indicavit.* II. 65. A. 233. A. C. 236. D. 246. F. 255. A. 261. D. בראזא חוי I. 334. F. cf. I. 311. C. 359. E. — קרא pr. *appellavit*, saepius *typice appellavit* s. *indicavit* I. 275. A. 281. F. 282. D. 283. F. 284. A. 290. C. 312. C. II. 12. A. 33. E. 66. C. 129. B. 242. A; id quod plenius קרא

(סוּכָּלָא) expressit et manifestavit. Atque in hoc imprimis posuit caussam, ut vidimus

---

אַיךְ דַּבְרָאֵז II. 310. A. sive רוּחָנָאִית ק' II. 311. A. sive מְשַׁתְּכלְנָאִית ק' II. 277. F. שׁוּכָּלָא אחְרִינָה ק' II. 12. A. — שַׁמָּה *vocavit* h. e. *typice vocavit* I. 280. E. F. 290. F. plenius II. 27. B: רָאזָנָאִית שׁ'. — כַּנִּי id. I. 270. A. 274. C. — אַכְרֶז, כַּרֶז *praedicavit* h. *typice praedicavit,* I. 283. E. Jac. Sarug. ap. Ephr. I. 243. — אַוְדַע *declaravit, annuntiavit,* saepe: *typice annuntiavit* p. *repraesentavit* I. 229. E. II. 250. E; apertius בְּרָאזָא א' I. 228. F. 294. C. 318. D. 359. C. — שַׁוְדַע id. constr. c. Acc. I. 227. D. 228. D. 232. C. E. 240. B. II. 12. B. 214. C. 215. C. 310. A. Jac. Edess. ap. Ass. I. 76; alibi seq. עַל I. 228. F. 247. C. 282. C. II. 33. F. 250. C; manifestius legitur שַׁוְדַע רָאזָנָאִית II. 295. D. cf. 298. F. — בַּדֵּק, בְּדַק *renovavit, restituit.* I. 543. E. deinde *prodidit, revelavit* I. 2. B. II. 88. D; sed etiam *typice prodidit, indicavit.* Peh. II. 12. B. Pah. seq. עַל I. 339. B. 296. C. 283. E. 344. C. II. 488. F. 489. A. — פַּשֵּׁק, אֶתְפַּשַּׁק *exposuit, expositus est,* h. e. *typice repraesentavit* v. *repraesentatus est.* 229. A. — Jam vero alia ad notionem illam exprimendam minus proprie adhibentur verba. Sic verb. subst. אִית *est* h. e. *significat, per figuram exprimit* I. 331. B. C. 350. D. E. II. 241. C. D. 285. D. 313. D; id quod manifestius ac plenius est אִית רָאזָא ד' I. 311. A. sive אִית ד' טוּפְסָא I. 232. E. cf. I. 228. F. 311. A. II. 214. F. 215. B. C. 288. E. 304. A. — Pronom. I. 243. A: צִפְּרָא הוּיוּ עַמַּנוּאֵיל *passer typus est Emanuelis.* — I. 312. D: עַנְנָא אֶנּוּן שְׁלִיחֵא *nubes typum gerunt Apostolorum.* I. 313. D. II. 80. B. 214. C. F. 215. A; plenius: טוּפְסָא אֶנּוּן I. 243. A. s. רָאזָא אֶנּוּן I. 350. F. — I. 323. F: *Quod Simson*

paullo ante (p. 107. 109.), cur utriusque scripturae doctrina praeclare conspiraret, sed tamen evangelium lege multo esset praestantius. Quodquum omnibus creaturis futurae salutis quasi praesagium ac desiderium, jam inde a mundi initio et fundatione, insitum esset, non solum omnes pii electique homines eam vehementissime exoptarunt perque figuras adumbrarunt, sive dictis, sive actionibus, sive variis vitae ipsorum rationibus: verum etiam res creatae et manu factae, ratione quidem aeque atque animo destitutae et mysterii, quod ipsis inesset, prorsus insciae, Christum tamen ejusque

---

leonem dilaceravit illud significat (הִי הִי), *quod Emanuel populum suum dispersit.* cf. II. 214. E. — 4.) Alias dicitur, in re alia nos *contemplari* (אֶתְבַּקָּא I. 247. D.) sive *videre* (חֲזָא I. 229. A. 238. F. Ethp. I. 219. E. 228. E.) sive *cognoscere* (יְדַע I. 162. E. 228. F.) sive *discere* (יְלַף I. 229. B.) rem alteram h. e. *nos repraesentatam eam videre;* alias legitur, *rem in altera intelligi* h. e. *repraesentatam cerni* (אִסְתַּכַּל I. 248. F. 267. D. 283. E. F. 313. D. 326. E. cf. in Opp. Graec. III. 282. C: *νοεῖται*). Alias perhibetur, prophetam *dicere de* aliqua re (אֲמַר עַל II. 70. E), sive *spectare* (חוּר II. 238. D.), sive *ostendere* aliquid (נַהֵר I. 283. E.), sive *meminisse* cujusdam rei sacrae (אֶתְעַהַד I. 283. E.). —

ecclesiae mysteria prophetice repraesentarunt. Tempore igitur, quod Legis promulgationem antecessit, inde ab hominibus protoplastis, prope omnes justi et Patriarchae, nimirum Adamus, quemadmodum Eva visa est Mariae umbra [247]), porroque Abelus, Sethus, Enosus, Henochus (II. 324. E. T. 326. A), Methusalachus, Lamechus, Noachus, Schemus, Japhethus, Abrahamus, Melchisedekus, Lothus, tamquam Christi typi instar, eum desiderarunt [248]), qui, quum omnium

---

247) II. 318. C. 321. C. 327. V. S. V. Augusti: de hymnis Syrorum sacris, p. 19: „*Rarius Mariam, Deiparam, et Evam, communem generis humani matrem, comparatam invenies, quamvis non prorsus omittitur parallelismus ille, ut ex Iren. adv. haeres. V.* 19. *patet. A Syris tamen frequentius adhibetur. Ephraemus tres huic comparationi hymnos dicavit. cf. Assem. B. O. I. p.* 90.“

248) Serm. I. de nativ. Christi II. 397. B: *Benedictus sit verax ille, qui venit a patre veritatis et locutus est verba vera, quae in veritate sua sunt perfecta. Ex promtuario tuo largire domine, ex thesauris scripturarum tuarum, nomina justorum veterum, qui videre adventum tuum exoptarunt. Sethus ille, qui Abeli subrogaretur, filium* (Dei) *occisum per figuram adumbravit* (בְּתִלָּה), *cujus nece futurum erat, ut hebesceret invidia, quam Kainus mundo intulerat. Vidit Noachus filios Elohim* (et) *sanctos lascivia subito defluxos, et exoptavit*

typorum, in hominibus sanctis delineatorum, mysterium persolverit, *mysticus Judaeus*

---

filium sanctum, quo consecrarentur fornicatores. Gemini fratres, qui Noachum contegerent, intuiti sunt Unigenitum Dei (et exspectarunt), *fore, ut veniret* (et) *obtegeret nuditatem Adami, qui superbia sua inebriatus erat. Schemus et Japhetus, tamquam misericordes exspectabant filii* (Dei) *misericordiam, qui futurus erat, ut veniret et liberaret Canaanem a servitute peccati. Melchisedekus illum exspectavit; munere* (sacerdotali, quod Christi est proprium) *fungens, prospectabat, ut videret dominum sacerdotii, cujus hyssopus dealbaret creaturas. Cognoverat Lothus, Sodomitas naturae ordinem pervertisse; dominum rerum naturarum contemplabatur, qui communicat sanctitatem, naturam excedentem. Illum exspectavit Aaron, qui intelligeret, si baculus suus devorare serpentes, fore etiam, ut crux ejus devoraret serpentem, qui vorasset Adamum et Evam. Vidit Moses, anguem* (aeneum) *defixum* (humi) *sanare morsus aspidum; speravit igitur, fore, ut adspiceret eum, qui medicaretur ictui serpentis antiqui. Vidit Moses, se unum accepisse splendorem* (*unius*) *Dei et exspectavit eum, qui venturus et effecturus erat plures deos* (h. e. deiformes, personas nempe ejusdem divinae substantiae in Trinitatis mysterio) *in doctrina sua. Caleb, explorator ille, gestavit botrum in vecte et accessit; exspectavit, fore, ut intueretur botrum, cujus vinum consolaretur creaturas. De illo exspectavit Jesus, filius Nun, fore, ut exprimeret vim nominis sui, nam si nomine ejus* (filii Dei) *ita jam excelluit, quantum sane nativitate ejus excelleret necesse fuit; ille Jesus, qui collegit et vindemiavit secumque tulit de fructibus, arborem vitae exspectavit, ut gustaret fructum ejus, qui omnes vita afficit.*

יְהוּדָא רָאוֹנְיָא (I. 309. B.) appellatur. Ecclesia autem Noachi navigio repraesentabatur.

Rahab illum contemplabatur ipsa; etenim si vitta coccinea per mysterium eam liberavit ab ira (I. 294. C.), *per mysterium praelibavit veritatem. Illum desideravit Elias; quodquoniam non vidit filium* (Dei) *in terris, fidem tenuit strenueque se purgare* (pr. defaecare) *studuit, ut ascendere illumque in coelo contemplari sibi liceret. Illum exspectarunt Moses et Elias; mansuetus ascendit ex imis et Zelotes descendit de summis et adspexerunt filium in medio versantem. Adumbrabant nimirum mysterium adventus ejus. Fuit Moses typus mortuorum et Elias typus viventium, qui in occursum ei volabunt, quando veniet. Ob mortem, quem jam gustaverint mortui, hos reddet principes; et tamquam postremi, qui nondum sepulti fuerint, ad extremum in occursum ei rapientur* (1 Thess. IV. 15—17). — — — *Quis est, qui satis celebrare possit filium veritatis, qui nobis exortus est, quem justi in aetatibus suis videre desiderarunt. Adamus illum exoptabat, namque ille erat Cherutorum dominus ideoque restituere et reducere eum poterat ad ramos arboris vitae. Abelus illum exoptavit illumque in diebus suis venturum esse speravit, ut pro agno, quem obtulit, adspiceret agnum Dei. Eva illum intuita est; nuditas enim feminarum magna fuit, atque ille poterat eas induere, pro foliis gloriae, quae amiserat. Turris, quem aedificarunt multi, mysterium unius prospectavit, qui descendit, ut exstrueret in terris turrim, qui adduceret ad coelum. Arcae etiam viventium typus, prospectavit dominum nostrum; namque hic aedificavit sanctam ecclesiam, qua proteguntur animae. Diebus Phalegi divisa est terra in septuaginta linguas; exspectavit eum, qui pro linguis orbem divisit Apostolis suis. Silentium*

(III. 90. A—D). Atque idem illud tempore Legis contigit. Namque omnes pii, sive pro-

---

orbis, quem suffocavit (summersit) *diluvium, dominum suum* (typice) *praedicavit. Descendit enim et instituit baptismum et elati sunt per eum ad coelum. Sethus et Enosus, aeque ac Kainanus, filii Dei appellati sunt; filium Dei exspectarunt, ut pietate fratres ejus fierent. Prope mille annos vero fuit vita Methusalae; exspectavit filium, qui communicare poterat vitam, nunquam deficientem. Ipsa gratia pro* (justis) *illis per mysterium absconditum orabat, ut dominus eorum veniret in aetatibus eorum, eorumque detrimentis succurreret. Etenim spiritus sanctus, qui in iis fuit, in meditatione oravit pro eis; elevavit eos et per eum contemplati sunt salvatorem, quem exoptarunt. Animus justorum praesensit filium, qui est pharmacum vitae, eumque in diebus suis venturum esse exoptavit, ut gustaret dulcedinem ejus. Henochus illum desiderabat; quodquoniam filium* (Dei) *in terris non vidit, fidem strenue servavit et justus factus est, ut ascendere illumque in coelo contemplari sibi liceret. — Quis est, qui accuset bonitatem* (summi numinis) *idcirco, quia donum illud, quod majores gravi labore assequi non potuerunt, posteris gratis* (sine labore) *contigit. Illum etiam prospexit Lamechus* (sperans), *fore, ut veniret et consolaretur eum mansuetus de labore et manuum opere deque terra, cui maledixerat Justus. Cognovit autem Lamechus, in Noacho filio suo descripta esse mysteria filii* (Dei); *quippe quum dominus esset remotus, consolabatur eum mysterium* (illius) *proximum* (in filio suo). *Illum videre Noachus etiam desideravit, qui gustum praesidiorum ejus gustasset; quodquum mysterium ejus servasset animantia, quantam salutem tandem ipse animabus praestiturum esse existimari potuit. Ille, speravit Noachus, fore, ut,*

phetae, sive judices, sive sacerdotes regesve numerabantur, inde a Mosis aetate ad Josephum, Jesu patrem, usque, illum diem, quo futurum esset, ut dominus exoriretur, summo desiderio exoptabant atque typis dominum adumbrabant [249]). Maxime vero inter eos excelluerunt Moses, Josua, qui a Jacobo Edesseno (II. 287.) Jesus (Salvator) typicus (ܝܫܘܥ ܛܘܦܣܢܝܐ) appellatur et componitur cum Jesu (Salvatore) vero (ܝܫܘܥ ܫܪܝܪܐ) h. e. Christo; porroque Rahab (I. 293. D. 318. F. sqq.

---

sibi etiam medicaretur, quo (cujus auxilio) *exstiterat Arca. Quodsi typus ejus tantam salutem tulerat, quanto majorem salutem ipsa in sua persona* (ܒܩܢܘܡܗ) *praestiturum esse cogitari potuit. Spiritu praesagivit Abrahamus, remotam esse nativitatem filii* (Dei). *Pro persona ejus hanc consolationem accipiebat, fore, ut ipse videret diem ejus* (Jo. VIII. 56). *Illum videre Isaakus exoptavit, qui gustasset gustum salutis ejus. Quodsi typus ejus* (ܢܝܫܗ) *tantam vitam vindicaverat, quanta tandem vita in veritate sua eum affecturum esse existimari potuit.*

249) Hymn. 25. adv. haer. II. 496. C: *Est via* (mysteriorum Christi), *quam ingressus est Abelus et Henochus et Noachus itemque Abrahamus et Josua itemque Samuelis; Davidis posteri et filius* (nepos) *ejus Josephus, una cum multis, qui in medio sunt* (medii inter Davidem et inter Josephum). *Ecce catenam filiorum lucis!*

394. C), Ehudus (ib, 310. B. C.), Samgarus (310. E. F.), Jaelus (311. A.), Simson (323. B. H. 327. A.), Saulus (350. A. sqq.), Jonathanus (359. E.), Absalonus (412. E.), Elisa (521. C. D. 529. B.); sed imprimis Davides [250]) et Salomo (I. 451. E). Atque adeo Prophetae ipsum Davidis nomen, quem a typo mutuarentur, Christo imposuerunt [251]), quippe quum prope omnia, quaecunque in domini vita apparuerunt, in typici illius regis imagine primoribus quasi lineis jam inchoata essent. Itaque Christus dicitur *rex regum et Davides verus* (מֶלֶךְ מַלְכַּיָּא וְדָוִיד שַׁרִירָא I. 365. E.) sive *spiritualis Salomo* (שְׁלֵימוֹן רוּחָנָיָא ib. 472. C.). Ecclesia autem ejusque mysteria primum tabernaculo figurabantur. Totum igitur cultum Leviticum et structuram tabernaculi, vel vasa altaris, ha-

---

250) I. 367. D: *Davides adumbrat nobis, plurimis factis suis, dominum nostrum.*

251) II. 238. D. ad Hos. 3, 5: *Messiam ipsum spectat hic Hoseas; ille etiam a ceteris prophetis* (Jer. 30, 9. Ez. 34, 23) *Davides appellabatur. A typo autem nomen* (כִּילְיָא) *mutuabantur.*

bitumve pontificialem ita accurate conjectat (I. 228. D—234.), ut nullum licium, nullam unam bracteam praetermittat, quin divini quiddam intellectus subnotet. Deinceps vero ecclesia templo primo (II. 458 sqq.) posteaque altero [252]) repraesentata visa est.

Jam vero omnes quidem illi, quos supra diximus, pii homines, qui dominum praecederent, umbram ejus descripserunt: sed et aliae res, quae christianarum rerum typum gerant, non sunt minus aptae. Primum igitur sunt typi maxime apti, qui ex rebus historicis, qui ex populi judaici caussis et externis ejus eventis sumi possunt; ut, quum agnus paschalis die decimo, mensis primi, mactatus, figuram habet Christi, qui decimo die mensis Nisan in virginis uterum descendit (I. 212. F. II. 415. A.); vel hujusmodi: populi per Jordanem transitus baptismum adumbrat (I. 292. C. D.); arcae in castra deportatio Christi in carne mani-

252) II. 200. C. ad Ez. 41, 16: *Templum et omnia quae in ea Ezechieli apparuerunt, transfer ad ecclesiam sanctam.*

festationem praesignat (I. 341. D.). Ex altero autem typorum genere, quod est bipartitum, unum est de rebus physicis, ut, si lupus et leo, a Davide interfecti (1 Sam. 17, 50), diabolum et mortem praesignant, quos profligavit Christus (I. 369. B.); si lapide, a Samuele inter Mizpah et inter Schen positus (1 Sam. 7, 12.), Christus, tamquam lapis pretiosus et angularis, inter duo testamenta, Prophetas scilicet et Apostolos, locatus, repraesentatur. Alterum de rebus arte et manu factis: ut, si funiculus coccineus, quem Rahab in fenestra appendit (Jos. 2, 21), Christum crucifixum ejusque sanguinem adumbrat; si lagenula nova, sale impleta, quam Jerichuntis habitatores Elisae attulerunt (2 Reg. 2, 20), Mariae virginis est umbra, qua nova et singulari ratione conceptus est Christus, corruptae naturae nostrae condimentum. — Ceterum multa, si ad literam ea spectaveris, quamvis sint vilia foedamque prae se ferant speciem, tamen, spirituali ratione intellecta, praeclarum sensum fundere atque rerum christianarum ima-

gines praeclare referre possunt: ut, quum quatuor isti homines leprosi (2 Reg. 7, 3), etsi secundum literam (סוּעֲרָנָאִיא) foedi sint, tamen si in eos mystica et typica ratione (פְּלָאחָנָאִיא) inquiras, eo respectu, quo fausta nunciaverint, sanctos quatuor Evangelistas nobis commode repraesentare dicuntur (I. 537. E).

Neque vero solum res christianae, sed ex adverso etiam omnia, quae sese regno divino opposuerunt, quibusque profligandis et abrogandis venit Christus, per figuram adumbrantur. Diabolus igitur, cujus typum expresserunt Chusan, Syriae rex (Jud, 3, 8. I. 309. F.), tum Sisera (ib. 4, 2. p. 311. A), quapropter humani generis hostis et *intellectualis Sisera* (סִיסְרָא מְחִינְדְעָנָא I. 315. B.) appellatur; tum Goliathus (p. 367. A.), tum Sanheribus (p. 556. C. 557. C). Typice etiam describuntur Synagoga (311. A. 403. D. 452. B); mors per Adamum (310. F.); Lex vetus (311. A.), et quae relicua sunt.

Atque in hoc typico genere, quod paucis sum complexus, eo labitur, ut non solum

synagogam praeparasse Evangelium et ecclesiam, dicat, verum aperte affirmet, etiam omnem V. T. scripturam nisi in eum finem non exaratam esse et conscriptam, ut Christianam oeconomiam variis in formis nostri commodi gratia adumbret et praenuntiet [253]). Quid, quod ipsas singulorum hominum vitae rationes sive actiones jam de consilio divinae providentiae ita definitas et praeparatas putavit, ut novi Foederis tamquam veri apertique typi a posteris cognoscerentur? Atque, ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus. Simsonis nativitatem enim per angelum esse nuntiatam affirmat (I. 213. B), *quia* Christi

253) ad Jerem. 49, 50. II. 158. C: *Divinus dicit Paulus, quaecunque ab antiquissimo inde tempore scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Itaque spiritus Jeremiae et ceteris prophetis literis mandare praecepit periocham* (שׁרבא cf. II. 442. C.) *captivitatis et reditus gentium, quae inclaruerunt* (postea) *et excelluerunt in aetibus suis, quo nostri generis sub diaboli potestate servitutem aperte manifesteque significaret, et adumbraret nobis typum divinae domini nostri dispensationis, qui vitam et libertatem per mortem suam nobis reddidit.*

typus exstitit (דְהוֹי טוּפְסָא דִמְשִׁיחָא). Tum ejusdem nuptiae, cum virgine ex Philistaeorum odiosa rejectaque gente, qualis Judaeis fuit, non disturbantur, *ut* iis ecclesia, quae futura esset, ut gentiles etiam sibi eligeret, manifestius per mysterium describeretur (דַבְרָאֵי עֲדְתָא אֶתְמַתְלַת I. 223. D); tum arca domini (1 Sam. 7, 1 sqq.) in urbem Kir'jath J^e^arim (h. e. saltuum) transfertur, *quia* (מְטַל ד׳) lex Christi ad gentes traducenda erat (p. 344. F); tum Davides (1 Sam. 17, 50) lupum et leonem, diaboli nimirum, et mortis figuras, prostravit iisque animam elisit et raptas oves excussit, *quia* (מְטַל ד׳) Christus mortem et diabolum profligavit et quem voraverant, Adamum (h. e. Adami posteros), reddere coëgit (ib. p. 369. B); tum Abigail, vidua, nupsit Davidi, *quia* (מְטַל ד׳) natio gentium Christi sponsa facta est (ib. p. 384. E); tum, ex Ephraemi sententia, apte adjungit scriptura (2 Regg. 20, 5), post tertium diem Hiskiae aegri, qui Christi typus fuit, curationem perfectam fuisse, *quia* (מְטַל ד׳) Christus ante tertium a sua morte diem mortalitati

nostrae per resurrectionem suam non medicatus est (ib. 561. E). — Quid vultis amplius? Ephraemi nempe opinio aperta est atque manifesta, ut duae differentes sententiae accipi non possint.

41. De typica interpretatione satis multa; nunc de tropologica pauciora dicenda sunt. Pleraque enim ei etiam cum typica sunt nomina communia [254]). Argumentum et

---

254) Verba, quae huc pertinent, magis habent significationem *symbolice adumbrandi*, quam *typice repraesentandi*; verum etiam promiscue usurpantur. Frequentissime redit verbum מַתֵּל, cujus solam formam Aphel (parabolizavit) adnotarunt Castellus et Michaelis. Sed occurrit etiam forma Peh. *similis fuit* et saepe ostendit se forma Part. Pass. מְתִיל, quae, a Lexicographis illis quidem non neglecta, tamen a radice temere disjungitur. Exempla autem haec nota: II. 20. E. 44. D. (bis). 49. B. 87. A. 263. F. 497. C. Pluribus in locis numerum pluralem aut terminationem fem. accipit, et in statu constructo, si praepositiones praefixas antecesserit, posita redit; secundum morem, quemadmodum Hebraeis, sic Syris maxime consuetum (cf. Hoffmanni Gr. Syr. p. 296; adde exempla ante ל Ephr. I. 23. C. 207. F. 295. C; ante ב I. 119. A. 316. B.) Ejusmodi haec sunt, quae sequuntur; II. 205. C: טֻעְיַי מְתִילַת בְּחֶשׁוּכָא *error repraesentatur per caliginem*, זַדִּיקָא מְתִילַי בִּנְהִירָא, *justi per*

finis ejus est, si breviter in memoriam nostram revocemus, ut sententiae ad piam animam spectantes et ad docendum utiles

---

lucem symbolice adumbrantur. Praeterea vide I. 113. 312. C. 350. D. E. — Conj. Pahel: *comparavit, symbolice* s. *typice repraesentavit,* seq. ב *aliqua re* II. 42. D. 45. F. 50. C. 61. A. 73. B. 78. D. 81. B. 201. A. 214. C. E. F. III. 155. B. Assem. B. O. I. 222. no. 19. — Aph. אַמְתֵל seq. ב II. 214. D. — Forma Ethpah. sive activae significationis seq. ב Objecti, v. c. I. 326. E. מֶתְמַתַּל שִׁמְשׁוֹן, בַהוֹנָא גְמִירָא *Simson symbolice repraesentat mentem perfectam;* adde I. 112. B. 263. F. 309. A. B. 310. B. (ubi vere est: *typice expressit,* cf. segm. E.) 311. A. 313. C; — sive passivae significationis I. 231. B. 249. D. 310. A. 314. D. 328. A. II. 16. F. 49. F. 214. C. Ceterum longissime aberrat Wiseman (l. l. p. 30), quum dicit, formam Ethpah. nusquam incidere, nisi in participio. Erroris enim arguitur modorum, quem deprehendimus, usu; veluti primi I. 323. D. בְּרָאז עִדְתָא אֶתְמַתְּלַת *per mysterium ecclesia typice describitur.* cf. II. 49. F; et alterius modi I. 326. C: בְּעָלְמָא כֻּלֵּה נֶתְמַתַּל שִׁמְשׁוֹן *Simson totum mundum symbolice repraesentat.* — — Deinceps est verbum אַרְזֵז רָזֵז, *mystice,* proprieque *symbolice expressit.* II. 26. A. II. 250. D: *Gemitus armentorum omnem creaturam ingemiscentem* (מָאְרֵז) *designat;* id quod plenius רוּחָנָאִית מָאְרֵז II. 129. B. Sequitur nomen גַּוְנָא, גוַן pr. *color* I. 118. C. II. 357. E III. 60. B; inde גוַן שְׁמַיָּא *color coelorum* h. e. *caeruleus* II. 167. D. deinde: *Species, vultus* III. 286. E. 287. F. Denique *symbolum, mystica figura.* II. 22. C. — Frequentissimae vero voces, quae tropologicam etiam interpretationem indicant, sunt רָאזָא et רָאזָנָאִית et פֶּלֶאתָנָאִית. —

ex sacrae scripturae locis artificio quodam eliciantur. Licebit vero, diligenter cognitis spiritualis interpretationis reliquis formis, nisi exempla nonnulla, quibus ea forma, quam quaerimus, apertior fiat, nihil addere. Per exemplorum autem copiam cumulate satisfacturi sumus voluntati vestrae. In hoc genus incurrit interpretatio Jos. 2, 15. I. 294. B; ubi verbis: *Demisit* (Rahab) *eos* (duos, quos miserat, Josuae exploratores) *per funem de fenestra*" — adnotata invenies hujusmodi: *Fenestra unde descenderunt exploratores; mysterium* (רָאזָא) *est libertatis animae, non corruptae caligine* (חֶשְׁקָא II. 72. E. 474. C.) *peccati; quae sancte suscipit magistros doctrinae mysteriorum spiritualium ac deinde eos caute* (בִּנְבִירָאוּת) *dimittit ad deum universitatis rerum; dum sperat, fore, ut redeant eamque visitent.* — Jos. 7, 1. I. 298. E: „*Et abstulit Achan — de sacro fisco dei.*" — *Hic mystice eorum fuit similis, qui voluptatum hujus vitae cupiditate tenentur. Neque enim solum illis secure non gaudent, verum illa etiam interitum iis afferunt.* — Jud. 5, 16. ib. p. 314. D: *Onagri*

agrestes sunt (significant) *daemones, qui sanctas animas, in justitiae semitis coelum petentes, incedunt et in via graduum eorum* (qua incedunt) *laqueos eis abscondunt.* — Sed quid plura? Si scire vis, hos inspice locos: I. 305. A. 318. A. sqq. 321. A—C. 324. B. C. 326. D—F. 336. E. 346. C. D. 397. A. B. 402. B. C. 409. C. D. 411. E. F. 425. D. E. 431. B. C. 536. C. 541. D. 556. B. C. E. II. 169. B. 247. C. D. 249. D. —

42. Quoniam de Ephraemi interpretandi universa ratione, prima ac maxima parte nostrae disputationis, quae summatim dicenda erant, habetis — etenim singulas, quibus creber est, insanas Allegorias recensere jam superfluum esset, quarum infinitam esse silvam verba monuisse sufficiat — neque igitur, quod ad nostrae disputationis argumentum in omni ratione pertineret, praeteriisse puto: quibus cum aliis S. S. interpretibus noster apte possit conferri et contendi, a me dici exspectare debetis. Jam vero satis ambiguum dictum est Petri Be-

nedicti (I. ad Lect. p. V.), Ephraemi methodum fuisse eam, quam Patriarchatus Antiocheni scholae ejus tempore tenerent, quave versarentur Theodorus Commentator, sive Chrysostomus, sive Theodoretus; porroque Ernestium, virum immortalem, mireris de Ephraemo haec scribentem (l. l. p. 461): illum ab Origeniano vitio intactum fuisse et propiorem Diodori aut Theodori rationi, vel saltem Chrysostomi, Isidori similiumque moderationi. Atat hanc virorum doctorum sententiam, quamquam ei veri quiddam sit admixtum, tamen maxima ambiguitate laborare, facile est ad videndum. Qua de re facillime unusquisque legentium judicare possit, si recolat (ne ea nunc iteremus), quae de schola Antiochena in secunda hujus voluminis parte separatim exposuimus (impr. inde a p. 67). Nempe hoc vidimus, scholae Antiochenae in sacris libris exponendis rationem, quae esset Ephraemi aetate, quamque consectati essent Diodorus et deinceps Theodorus Mopsvestenus, ab hoc nostri genere interpretandi quammaxime

abhorruisse neque nisi eo respectu, quo omnes in Aramaea versati Origeni sese opponerent et sive magis minusve literalem scripturae sensum colerent, interpretes illos posse comparari. Jam tolerabilius est, quemadmodum fecit Ernestius, de Isidoro Pelusiota cogitare, qui praeter literalem sensum, insanis etiam allegoriis indulserit [255]). Sed videto, si Chrysostomo ejusque discipulo Theodoreto nostrum comparaveris, ne justo ulterius progrediaris. Quamquam enim similitudo quaedam inter utrumque illum atque inter nostrum putari potest interesse, tamen ex adverso etiam multum a se diversi fuerunt. Propior scilicet ad eos accessit noster, quum scripturae sacrae duplicem quendam sensum, quamplurimis quidem in locis, uterque etiam ille inesse affirmaret; sic Chrysostomus, quum in Prologo ad psalmum XLVI (T. V. p. 188), suam de S. S. interpretandae ratione sententiam explanans, ea, quae

255) Herm. Ag. Niemeyeri Commentatio supra laudata de Isidoro Pelusiota p. 207. sqq.

leguntur, et literali sensu et spirituali accipienda esse dicit (τὰ μὲν ὡς, εἴρηται ἐκληπτέον, τὰ δὲ ἀπεναντίας τοῖς κειμένοις — — sive in subsequentibus: τὰ δὲ κατὰ διπλῆν ἐκδοχήν). Atque eandem sententiam tuetur Theodoretus, qui de occulta et abdita quadam verborum significatione saepe loquitur (in ps. 33, 9. ὁ δέ γε ἐν τῷ βάθει τοῦ γράμματος κρυπτόμενος νοῦς. T. I. 2. p. 815) atque alias umbram occultari corpore declarat (ad Habac. 3. II. 2. 1559. ἡ σκία ὑπὸ τοῦ σωμάτος καλυφθείση), adeoque pluribus in locis duplicem verborum sensum revera significatum esse manifeste statuit (ad ps. 28. I. 2. 778: διπλῆν δὲ ὅμως ἔχει τὴν προφητείαν. ad ps. 13, 7. ib. p. 684. ad Ez. 34, 11. 12. II. 2. 966). Jam eo etiam interpretes illi politiores cum nostro conveniunt, quod uterque prophetica et historica saepe perperam confundit. Quamquam de hac re jam supra dictum est (p. 167). Verum enimvero hoc discedunt, quod, quum Ephraemus in insulsis contortisque allegoriis omnem saepe modum excedat, Theodoretus id quod idem valet, de eo, qui antecessi

eum, Chrysostomo, quum nihil, aut non fere multum differant, sobrias et concinnas magis sententias exquirit; tum maximam vaticiniorum partem de uno Christo ad literam (κατὰ τὸ ῥητον) vult intellectam (Praef. ad Psalm. T. I. 2. 603), et adversus judaicam interpretationem invehitur (p. 66), etsi quasdam prophetias etiam mystice interpretatur (veluti Jes. 40, 4. II. 1. 326. Jer. 11, 19. ib. p. 472. Ezech. 17, 23. II. 2. 804. Hos. 2, 23. ib. 938); tum denique interpretationem typicam, qua Ephraemi Commentarii sunt referti, quamquam totum V. T. umbram quidem novi Foederis existimaret (ad ps. 28. I. 2. 779. 780. ad Jes. 22, 22. II. 1. 287), tamen parcius adhibuit atque eorum rationem, qui in ea justo plus elaborarent et quam longissime a se distantia inter se perverse compararent, graviter improbavit, in fine Habac. II. 2. p. 1559.

43. Jam vero priusquam huic disputationis nostrae parti finem imponam, hoc separatim etiam monendum mihi videtur, spiritua-

lem sive theologicam Ephraemi interpretationem, ab omnibus theosophicis et idealisticis speculationibus prorsus immunem, viam, ab ecclesia catholica (קַתּוֹלִיקָא II. 450. E.) sive pura orthodoxaque (עִדְתָא מְצַלַּלְתָא ib. 560. B), descriptam, nunquam reliquisse. Itaque fidei suae orthodoxae (קוּשְׁתָא III. 149. B. הַימָנוּתָא ib. 11. F. שׁוֹרָא ib. 12. A.) strenue servatae, ipse gloriatur [256]). Deum saepe implorat, ut omnes, christianam religionem profitentes, at vero id temporis maxime dissidentes, ad unum Orthodoxorum (שַׁרִירֵא II. 442. B. פְּשִׁיטָא ib. 486. C.) coetum et in unam orthodoxam ecclesiam, dissidiis adhuc laceratam, congregaturus sit. Ex hoc genere est illa dei imprecatio (adv. Scrut. 52. III. 98. A.):

Domine noster, da pacem,
Meis in diebus, ecclesiae tuae,
Compescito temparatoque, domine,
Turbas litigantium;

256) Adv. haer. 24. II. 291. B. de fine vitae suae. Opp. Gr. II. p. 396.

Jam tranquillos placatosque reddito
Sectas dissidentes [257]).
Tum orietur ex diversis ecclesiis
Una ecclesia veritatis,
Tum congregabuntur pii ejus filii
In medio ejus sinu,
Ut confiteantur bonitatem tuam,
Celebrent tuam reconciliationem [258]).

Id vero tandem non praetermittemus silentio, quod decreta concilii Nicaeni maxima laude extulerit eosque graviter vituperare solitus sit, qui „petulanter impiam manum injicerent orthodoxae fidei a celeberrima illa Synodo traditae, cujus congregandae auctor fuisset Imperator aeterna dignus recordatione.“ adv. haer. 23. II. 488. D. — Sed quoniam satis videmur de orthodoxa Ephraemi fide dixisse, ne hujus voluminis, ad exitum hunc perducti, magnitudo justo longius procedat, quae sequuntur deinceps, in relicuis dicemus.

---

257) pr. *Sectae dissidii*, *contentionis*, גַּבָּא דַמַצּוּתָא; sic enim, cum puncto vocali P'thocho, vocem alteram in Ephraemi Opp. instructam legis. cf. I. 491. E. 497. A. II. 440. E. F.

258) תַרְעוּתָא I. 87. D. III. 217. C.

CAP. IV.

Ephraemi interpretandi ratio singulis exponitur et probatur.

44. De Ephraemi interpretatione spirituali satis abundanter, ut arbitror, in superioribus est demonstratum; ex quo simul ostendebatur, acute quidem illam esse excogitatam, verum a nostra sobria ratione quammaxime abhorrentem. Nunc de historica ejus et grammatica ratione, quia plura dicenda videbantur, in hoc extremo volumine conscribere maluimus. Relicuum igitur videtur esse, si paucis rationem nostri consilii demus, ut ostendamus, cujusmodi externus sit Commentariorum ordo et sermonis forma; deinde, quid de singulorum librorum aetate et auctoribus notaverit, deinde

quomodo explanatio illa in universum sit comparata. Ad extremum vero eorum voluntati rectissimae, qui Ephraemum accuratius cognoscere cupiant nostraque ex disputatione majorem quandam utilitatem haurire velint, ita morem geramus, ut ex iis locis, quibus verborum sacrorum sensum historicum et grammaticum praeclare explicaverit, magnam copiam, sed certo quodam ordine dispositam, in hunc librum transferamus.

45. Primum ergo quaeremus, quae sit externa Commentariorum ratio; et nimirum primum interpretationum ordinem, quo vel spirituales vel historicae sese excipiunt, consideremus. Plurimis in locis ita quidem agere solet, ut initio sensum verbalem exquirat, deinde, sicuti Hieronymus, spiritualem, certis illis formulis, quas supra jam protulimus, praemissis, adjungat. Interdum autem fit, ut inversum etiam ordinem sequatur (I. 318. D. E. 324. B. sqq. 357. C); aut spiritualem sensum duplici ratione explicet, tum typica, tum tropologica (I. 228. D. E.). Alibi au-

tem, veluti ad Geneseos et Jeremiae librum, si a paucis locis discesseris, omnes mysticas interpretationes praetermittit, ut alium fere interpretem audire putaris. — Deinde ostendatur, quae forma sit sermonis, quem adhibet in Commentariis. Singuli autem libri non semper tractantur uno modo. Interdum enim interpretatio est brevis et concinna; veluti ad Jobum et ad multa Prophetarum dicta; interdum ea, quae in verbis contextis explanatius, tum etiam uberius sunt prolata, quasi vinculis eximuntur breviterque enarrantur, quo in genere nihil quidem habet interpretatio dissimile quotidiani sermonis. Tum sermo amplus ingreditur et copiosus totumque verborum argumentum late explanatum, caute expenditur et dijudicatur, veluti in Geneseos principio, vel in Josephi (I. 90. sqq.) vel in Mosis historia (ib. 197 sqq). Tum vero interpretatio maxime est luminosa et quasi actuosa, qua res auget atque amplificat. Quo in genere a verborum quidem sacrorum argumento non discedit, sed materiam ex historia vera et biblica de-

promit neque ejus ordinem immutat, at in forma tamen et tractatione suum secutus ingenium, exornat illam, imaginibus illustrat et nexum, ubi omissus sive minus videatur apertus, ex ingenio supplet. Ad Dialogos igitur accedit; ut, quum Potiphar ejusque uxor fictum quendam sermonem instituunt (I. 93. C); tum loquentes facit alios; deum igitur (ib. 18. E), Evam (ib. p. 30. 31), Lothi filias (73. B) Thamarem (p. 90); tum Deus cohortatur Adamum (34. A.), Moses Ziporam (205. C), Jacobitae sermonem convertunt in Josephum fratrem (95. B); tum interpres ipse Cainum alloquitur (34. A), vel Mosen (202. A) et Absalonem (417. F), vel Joabum (421. A) et Eliam (497. D). Atque hoc dicendi genus, etiamsi abest a versu et numero, tamen incitatius fertur et potius poeticum putandum, quam interpretis proprium vereque dici potest dramaticum. Fuit quidem veteris ecclesiae concionatoribus, quales sunt Eusebius Emesenus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius atque ipsa Ephraemus noster, qui in Sermm. exegg.

spiritum sanctum (II. 378. C) et in Serm. IV. de nativ. Christi (ib. 415. C) Josephum et Mariam loquentes fingat, maxime consuetum, neque equidem refragor, si ex Viri Cel. Augusti sententia [259]), illius generis inter concionatores principem et inventorem fuisse Eusebium censueris: sed tamen hoc dixisse meo jure mihi videor, primum exstitisse nostrum, qui ad S. S. interpretationem transferret illud, sibique accommodaret.

46. Quoniam igitur externam Commentariorum formam ostendimus, opiniones ejus nunc de singulorum librorum aetate eorumque auctoribus, id enim erat secundum, explicemus. Singulis enim libris, exceptis nonnullis oraculis, brevem argumenti ac finis narrationem praemittere, deque auctorum patria sententiam suam aperire solet. Quibus tamen in sententiis, quemadmodum nimis credule Judaeis aurem praebuerit iisque peccaverit, ut, qui velit, ipse judi-

---

259) In libro de Eusebio Emeseno. p. 103. 110.

care possit, ea quae digniora sunt notatu, hic ponamus. Librum Deuteromii igitur maxime eum in finem ex tribus libris conscriptum esse dicit, ne pigeret ignavos perquirere illos, neve quaerendi labor studiosos frangeret, priusquam quae sibi quaerenda proposuissent, invenirent (I. 269). Porro Rabbinorum doctrinam hoc redolet commentum, Jobi librum, a viro ipso, cujus nomen ferat, inchoatum, a Mose esse repertum eaque forma, qua nunc habemus, persolutum. Jobum autem, sic enim praecipere pergit, non solum fuisse regem, verum sacerdotem etiam, simul et prophetam eundemque putandum, qui alias Jobab (Gen. 36. 33) appelletur, quam sententiam tamen probe jam rejecit Spanhemius (Hist. Jobi c. 5. p. 137 sqq). Patriam ejus urbem fuisse in terra Math'nin (h. e. Βατάναια cf. Comment. meam critic. p. 38), posita e regione Jordanis Orientem versus censet (II. 1. A.). Jesaias, ut Ephraemus existimat, de captivitate deportationeque tribuum sub Assyriae et Babyloniae regibus vaticinatus est, ita

tamen, ut inverso temporum ordine a postrema sub Babyloniis captivitate prophetiam inchoaret posteaque ad extremum de captivitate Babylonica, de populi reditu, de Hierosolymorum instauratione, et gentis Gog interitu loqueretur (ib. p. 20). Deinde partem Jesaiae primam (I—V) in Usiae, secundam (c. VI) in Jothamis, tertiam (c. VII—XXXV) in Ahasi, at vero relicua omnia in Hiskiae tempora incidere arbitratur. Quod vero ad Jeremiae oracula attinet, perturbatum esse eorum ordinem et postrema primis praemissa statuit (ib. 147. F). Hoseae patriam urbem appellat B^e^elmoth (בְּעֶלְמוֹת) in tribu Isaschari sita [260]); suspicatur etiam, Hoseam, post Elisae mortem, prophetarum ordini praefecisse (I. 549. F). Argumentum ejus ita describit, ut partim captivitatem tribus Ephraemitici, partim alteram Judaeis a Babyloniis imminentem vaticinetur, qua tandem soluta, reditum et in pristinum restitutionem populo utrique

---

260) de Wettii Lehrbuch der hist. krit. Einl. §. 226. ann. a.

polliceatur (II. 234). Joelem in Rubenitarum tribu natum, mortuum et sepultum esse, cum multis aliis [261]) existimat. Censet de Prophetiae argumento, hoc in eo versari, ut Assyriorum et Chaldaeorum irruptio, sub quatuor regibus, nimirum Tiglatpilesare, Salmanassare, Sanheribo et Nebucadnezare, sub locustarum imagine symboloque describatur (ib. 249); qua in sententia cum Paraphraste chaldaeo atque aliis ecclesiae scriptoribus, qui a Judaeis essent edocti, convenit [262]). Relicua vero omnia, quae hoc in genere proposuit, nullius sunt momenti et nihil habent novi. Id vero non praetermittemus silentio, quod de Maccabaeorum et Antiochi Epiphanis aetate Zachariam esse vaticinatum, opinatus sit.

47. Quomodo interpretatio illa historica in universum sit comparata, deinceps ante est videndum, quam singulis eam accuratius

261) C. A. Credner: Der Prophet Joel. Hal. 1831. p. I. ann.

262) Credner l. l. p. 17. sqq.

exponamus. Etenim sensum verborum historicum ita diligenter, acute etiam interdum, eum perquisivisse, ita praeclare eum plerumque assecutum esse existimo, ut, qui in graeca ecclesia eum antecessissent, longe omnes antecelleret. Creber iis est interpretamentis, quae ad historiam linguamve pertinent, ex reliquis S. S. libris repetitis; tum locos parallelos affert ad imagines explicandas et notiones; tum intexit aliorum, maximam partem Rabbinorum quidem sententias, haud semper tamen omnino rejiciendas, interponit etiam traditiones, quarum jam in prima hujus voluminis parte mentio est facta; tum populorum mores, vel consuetudines institutave ex similibus majorum coaevorumque cogitatis inventisque explicare studet. Ex adverso quidem infitias ire non possumus, multis etiam in locis eum falli et labi; tum prophetarum singula oracula, quo spectent, minus recte eum perspexisse; tum alias sententias, sive contortas omnino, sive acutas tamen magis, quam probabiles protulisse. Hujus generis exempla

sunt hujusmodi: ut, quum ad locum Gen. 9, 22 interpretatur hunc in modum (I. 56. B): Temulentiae, qua Noachus obrueretur, caussam fuisse diuturnam vini abstinentiam; id quod aperte etiam ex illo loco argui, quo Chamus de illa re fratribus nuntium attulisse in *foro* (בְּשׁוּקָא) dicatur; ex quo efficiatur necesse esse, jam *urbem* fuisse conditam, plurimosque annos inde a diluvii tempore exactos. Noachum igitur, intra hoc longum annorum spatium vino desuefactum, ut primum ejus usum resumserit, in mentis hebetudinem confestim delapsum esse. Porro ad Gen. 20, quo de Sara, formositatis caussa a rege quodam abducta, mythus offertur, haec declarat (ib. p. 75. C): nisi dicamus, Sarae juvenile robur et formam post Isaaci conceptionem rediisse, incredibile esse, regem Abimelechum in vetulam nonagenariam cupidine flagrasse. Tum ad Gen. 22, 6. (ib. p. 77. E.) male conjicit, arietem quidem in monte, quo deus singularem Abrahami pietatem tentaret, non fuisse, sed nec arborem exstitisse, id quod ligna Isaaci hu-

meris importata testentur; montem ergo arborem statim protulisse colligit. — Saepe etiam in interpretatione Prophetarum, qui a verbis translatis ac tropicis decedere soliti sint ad propria ac simplicia, eo peccat, quod verba, quae per similitudinem ab alia re transferantur, proprie accipit; tum alia, quasi per imaginem essent dicta, interpretatur; tum denique tropos explicat triviali contortaque passim ratione.

48. Sed his omnibus expositis, jam sequitur, ut interpretationes ejus, quae ad historiam et linguam spectant, optimae quidem notae, accuratius cognoscamus. Principio igitur si interpretationis illius speciem singulis cujusque generis exprimamus, ejus sex sunt genera nobis persequenda. Postea vero ad extremum viam nostram ita persolvemus, ut ex iis locis, quibus singulorum dictorum tenorem recte assecutus sit et sententiam eorum praeclare perspexerit, majorem delectum, secundum librorum sacrorum ordinem dispositum, exhibeamus.

49. Principio ergo singula quaeremus; et nimiru meos locos, quibus imagines explicat vel tropos solvit, tum singulis verbis symbolicis propria subjicit et simplicia, primum consideremus. *Gen.* 8, 21. *Deus odoratus est odorem sacrificii:* Non fuit odor carnis animalium aut lignorum fumus; sed animadvertit et intuitus est sinceritatem cordis, qua ex omnibus et pro omnibus sacrificium obtulit (Noachus). 1 *Sam.* 2, 31. *Praecidam brachium tuum:* nimirum filios tuos, *et brachium domus patris tui,* te ipsum. 2 *Sam.* 22, 5. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me:* Adversariorum multitudinem significat et conspirationem, impetum et minas. Torrentium enim id omne proprium est. Erumpunt nempe subito propter multarum aquarum confluxum, quae in unum locum congregentur, tum vero intumescunt plenitudineque sua inundant locum et repellunt rapiuntque ea, quae fragori eorum occurrant atque obstent. Comparat igitur osores suos torrentibus cursu rapidis, quo significet, frequentes illos esse et efferatos.

Ib. v. 3. *Quoniam cornu salutis meae tu fuisti*: Quoniam perdidisti inimicos meos ex consilio tuo terribili, ne laederent me; atque ad vindictam meam (ad injuriam illatam mihi ulciscendam) exstitisti, si damno me afficere ausi fuerant. Namque illa imago ab animalium natura est desumta. Etenim cornibus ferae adversarios, ne noceant, arcere solent et vindictam sumere ab offensoribus. — Formulam, in proverbio usitata: *non relinquetur qui mingat ad parietem* (1 Regg. 14, 10. 16, 13. relic.) ad 2 *Regg.* c. 10. p. 542 interpretatur hunc in modum: Sensus formulae est, definitum esse a (summa) justitia familiae alicujus, quod grave scelus quoddam commisisset, excidium et interitum, quo canes etiam, domus custodes, fore ut opprimerentur, nedum habitatores ejus, qui contra justitiam deliquissent. *Jes.* 2, 5: *In lumine domini* h. e. (ה [263]) in lege domini. 10, 12. *Fructus cordis* h. e. cogitationes cordis. Ib. v. 14.

263) Verbo monuisse sufficiat, hanc succinctam scriptionem potius legendam esse הֹלֵבְר, quam הָרָא, quemadmodum placuit Hoffmanno in Gramm. syr. p. 117.

Quasi nidum omnia regna invenit manus mea, h. e. redigo totum orbem sine negotio meam in potestatem, quasi nidum avis ceperit aliquis; *et quemadmodum congregantur ova* etc. h. e. coegi meum sub jugum servitutis populos terrae. Ib. v. 34. *Et Libanus cum gloria sua cadet* h. e. Assyrius cum copiis suis gloriosis occumbet. 16, 10. vocabulum Carmelus praeclare intelligit de terra succosa sive arvo cultu. Moabitas igitur Carmelo comparatas esse censet. 23, 3. *Flumen* dicit flumen Aegypti, nimirum Nilum; messem vero proventum ejus, quem aquae ejus ferunt in populorum commodum. *Jer.* 1, 13. *Olla fervens* iram, quae exardescit, tamquam ignis instar, significat. 2, 7. *Et adduxit nos in Carmelum:* terram promissionis Carmelum appellat, hoc est, locum deliciarum, propter feracitatem ejus et proventus copiam. v. 13. *Et fecerunt sibi cisternas contritas, quae non possunt continere aquas.* Fictos et inanes deos, qui fallant spem in iis positam, appellat cisternas contritas et perforatas. v. 15. *Super*

eum rugient leones: Reges et regna ad leonum rugientium instar fremuerunt et adhuc fremunt. v. 31. *Numquid solitudo factus sum Israeli?* h. e. sine miraculis et signis? *aut tamquam terrae desertae instar?* infoecundae? h. e. Hanc vos de me opinionem cepistis, quasi neque miracula patrare, neque portenta ac facinora, ut alias solebam, efficere valeam; atque inde vobis displicuit, opem ac salutem a beneficentiae meae thesauro exspectare. 4, 26. *Adspexi et ecce Carmelus desertus.* Carmelum vocat Hierosolyma, ob civium frequentiam et montium, in quibus eorum fundamentum erat positum, eminentiam, vel Judaeam, ob amoenitatem et fertilitatem Carmeli, jugis et campis eidem subjectis persimilem. 8, 22. *Num resina non est in Gileatidide?* quo alias magna ejus copia quaerentibus eam est in promtu? h. e. cur defecerunt institutiones divinae legis ex Hierosolymis, quae legum schola habebantur? 18, 14. *Rupem uberum* appellat montem Hermon (fertilissimum). *Peregrinas* eas vocat aquas, quae, quum primum erumpunt

frigidissimae sunt, quippe quas solis ardor nullatenus immutavit. 48, 25. *Abscissum est cornu Moabi, fractum est ejus brachium.* h. e. devastata est terra ejus et exercitus ejus contriti sunt. v, 26. *Inebriate eum* (רַוּהִי) h. e. agite Chaldaei et affligite (דַוּהִי) populum Moab, adeo ut propter vehementiam doloris videatur a sensu alienatus insanire; vinum nimirum conturbare solet ebriorum cogitationes. v. 33. *et cessabit laetitia in Carmelo.* Carmelum ipsam urbem Sebamam (סַבְמָא), Carmelo loci amoenitate et ubertate agrorum persimilem, vocat. *Thren.* 3, 27. *Jugum* (Dei) dicit mores sanctos. *Ezech.* 7, 17. *Et omnes manus dissolventur,* תִּרְפֶּינָה haec dicit de aerumnis, quas Judaei in captivitate passuri erant; manus eorum debilitabuntur (נַאשְׁן) et laxabuntur, adeo, ut dimicare nequeant et opes ad tuendam salutem inutiles esse sentiant. *Et omnia genua fundent aquas,* h. e. sudore diffluent ob dolorem et trepidationem.

50. Secundum est ut doceamus, quomodo voces difficiles et obscuras apertius trans-

ferat et aliena verba propriis usitatisque, manente sententia, commutet aut brevibus additamentis explicet.

a) Quae obscurius dicta sunt, distinctius et significantius exprimuntur latiusque circumscribuntur. *Gen.* 18, 21. *Descendi, ut videam;* h. e. descendi, ut explorem eos. *Exod.* 23, 21. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quia vices dei gerebat, dei nomen in illo fuisse dictum est. *Num.* 11, 20. Et erit (caro) vobis לְאַפּוּתָרָא (hebr. לְזָרָא in nauseam) h. e. לְמֵרְתָא *in fastidium.* pr. in amaritudinem *Jud.* 5, 5. *Montes* נָזְלוּ h. e. זָעוּ *contremuerunt.* 1 *Sam.* 3, 1. Verbum dei erat pretiosum (יָקָר) h. e. אִתְּכַלַּל h. l. *imminutum s. rarum factum est;* deinceps segm. E. clarius legitur: פִּתְגָּמָה דַאלָהָא אֶתְתְּרִים *verbum dei ablatum est* h. e. *cessavit.* Hanc, quam expressimus, verbi אִתְּכַלַּל significationem, extra omnem dubitationem esse positam, declarat etiam locus, quem invenies apud Ephr. I, 317. F. *Exercitus ad decem millia redactus fuit,* וְהָלֵין תּוּב אִתְּכַלַּלוּ *atque hi denuo* (novo nimirum censu) *sunt imminuti* h. e. numero pauciores fac-

ti. [264]). Non igitur fuit, quare de ista verbi significatione dubitaret Michaelis ad Cast. Lex. p. 189. — 1 *Sam.* 21, 4. *Panem solutum* (לחמא שריא), h. e. panis, quem lex cuivis comedendum permittit; *panis sanctus* est quem lex sacerdotibus tantum comedendum permittit, qui et panis propositionis dicebatur, hoc est panis facierum, ex eo, quod ante faciem domini (in tabernaculo) poneretur. — 1 Reg. 7, 24. p. 460. D. exponitur vocabulum פקיעא (hebr. פקע) quod vulgo ornamentum architectonicum habetur (conf. *Michaelis* Lex. syr. p. 723), ita, ut sit *columella* ipsa; dicit enim פקיעא הנו דין סמכא מליני ימא *Pkiae q. d. columellae* (quasi sustentatores), *quae fulciunt mare* (aeneum). Haec vocis S'moke significatio apud Lexicographos desideratur. — Jes. 3, 15: *Cur nocuistis* (נכיתון) *populo meo;* Ephraemus multo significantius addit: *cur corrupistis* (סרהתון). 4, 4: *Spiritu judicii*

---

264) Sic etiam דליל significat *paucum*; *rarum*. I. 339. D. דלילא *pauci* I. 47. D. F. 48. A. 172. C. בדליליתא *paucis* h. e. summatim. Hanc significationem formae Adj. non subscripsit *Castellus* (ed. *Mich.* p. 199).

(בריזתא דדינא) h. e. judiciis justis et aequis. 5, 8. *Agrum agro commiscunt* (חלטין) h. e. Uniti sunt (unitis viribus student, מחידין [265])), ut absorbeant ad unum omnes agros. v. 12. *Ad dei opera non respiciunt;* h. e. calamitates a deo immissas non considerant. 7, 8. *Ephraemus dissolvetur, ne sit populus* (נתר מן עמא, pr. decidet ex populo) h. e. captivus ducetur in Assyriam. v. 20. *Dominus radet novacula inebriata* (במדכיא רויא) h. e. novacula acuta (במדכיא חריפא) quem acuit (דחרפה [266])) ira justitiae ejus, nimirum Assyriis [267]) 8, 10.

---

265) Verbum חיד ap. *Cast.* ed. *Mich.* p. 291. exemplis caret; occurrit tamen passim apud Ephr. veluti I. 372. A. 384. F. II. 27. C. 106. A. 298. B. Ethp. *unitus est*; I. 330. C. D. II. 299. B.

266) Nota formam Pa. חרף signif. *acuit*, quae desideratur ap. *Mich.* p. 325.

267) Hodie quidem in Versionis syriacae exemplaribus legitur במדכיא רויא, atat sine ulla dubitatione affirmaverim, scripturam istam ex interpretatione septuagintavirali Cod. Alex. quo legitur μεμεθυσμένῳ (שׁכורה pro lect. Cod. hebr. שׂכירה), esse intrusam. Scribendum igitur videtur במדכיא חריפא, quemadmodum Ephraemum legisse, si interpretationem ejus consideraveris, maximam habet speciem veritatis. Accedit, quod Chaldaeus itidem exhibet בחרבא חריפא, porroque Saadias et Arabs in Polyglottis.

Loquemini verbum et irritum fiet h. e. decernite rem, neque tamen ea, quae decreveritis eventa habebunt v. 14. *In sanctum* h. e. in domum refugii, in asylum. 13, 21. שֵׁאדָא, *daemones*, Ephraemus in Scholio interpretatur סִירֵינוּשׂ, *Sirenas*. conf. *Gesenii* Comm. ad. Jes. I. 2, p. 466. — 17, 14. חוּטְפָא *abreptio*. Ephr. *abreptionem dicit moestitiam*. 18, 2. Hebraea בִּכְלֵי גֹמֶא satis ambigue expressit interpres syrus בְמָאנָא דְפִיפוּרוּן *instrumentis papyraceis*, sicuti Aquila: ἐν σκεύεσι βιβλίȣ. Jam Ephraemus verba illa potius de epistolis papyraceis, quam de navigiis interpretatur hunc in modum: „Papyrum vocat chartam (כַּרְטִישָׁא), cui epistolae inscribi solent.“ Convenit igitur cum interpretatione septuag. qua conversa leguntur verba hoc modo: καὶ ἐπιστολὰς βιβλίνας ἐπάνω τȣ̃ ὕδατος. Hoc interpretationis exemplum referendum est ad ea, quae descripsimus in Comment. crit. p. 16. — c. 22, 5. *Filia populi mei* h. e. filii (habitatores) Hierosolymorum. — Hunc sermonis usum multis exemplis probavit Gesenius in Comm. ad

Jes. I. I. p. 154. — 22, 6 וְשׁוּרָא גְּלָא סַכְרָא *et murum nudum fecit clypeus* [268]) h. e. militum acies, quae versus murum dispositae erant, murum nudarunt hominibus. — *Jer.* 1, 14. *Ab aquilone aperibit se malum* (אֶתְפַּתַּחִי בִּישְׁתָא) h. e. ab hac plaga venire incipiet malum. v. 16. *Et loquar judicia mea cum iis* h. e. et disceptabo cum iis. 3, 23. *Ad mendacium fuerunt nobis colles et altitudo montium* h. e fefellit nos vana et futilis spes, in simulacris posita, quae in collibus et altissimis montibus locaveramus. v. 6. *Et praevaluisti* (אֶתְתַּלַּלְתִּי hebr. וַתּוּכָל) h. e. וְנָיְא הֲוֵיתִי obtinuisti, perfecisti. 4, 1. *non commoveberis* h. e. non mutabis sedem, sed in patrio solo manebis et requiesces. v. 20. *Ceciderunt tentoria mea* (leg. יְרִיעָתִי pro יְדִיעָתִי apud Ephr.) h. e. oppida munitissima et opulen-

---

268) Manifesto ex Ephraemi auctoritate, singulariter סַכְרָא est legendum, neque vero סַכְּרֵא, quemadmodum in Polyglottis atque adeo in Editione Leeana exstat; id quod monendum mihi fuisset in *Comm. crit.* p. 55. Hodierna nempe scriptura omni sensu caret et ab hebraeis וְקִיר עֵרָה מָגֵן plane est absona.

tae urbes. 49, 27. *Et succendet palatia* (פַּלְטְרָא) *Bar-Hadad.* Palatia vocat munimenta et arces, quibus Bar-Hadad, antiquus Damascenorum rex, urbem suamque regiam ornaverat. *Ezech.* 19, 15. *Viderunt omnem altitudinem.* (רָמְתָא) h. e. omnem collem paullo editiorem. 21, 28. *Contra vanam speciem vestram* (חֶזוּהְכוֹן) h. e. contra speciem (ostentationem) potentiae vestrae futilis. *Dan.* 4, 32. *Oculos meos sustuli* (שְׁקְלֵת), *nimirum levavi.* (אֲוְכִית אֲרִימֵת), *et mens mea revertit ad me* h. e. mens hominum (humana) rediit ad me. 6, 2. *Praefecti exercituum,* nimirum duces (מְפַרְנְסָנֵא gubernatores). *Zach.* 3, 4. *Qui consistunt coram,* qui amici ejus sunt (sacerdotes).

b). Magna exstat locorum copia, quibus etiam verbis utitur, quae idem significant vereque dici possunt synonyma, ad interpretanda ea, quae paullo difficilius nonnunquam in verbis contextis dicuntur. Atque hoc genere, quod Ephraemi est proprium, multi Versionis syriacae loci, quos homines critici, Gabrielis Sionitae quidem

auctoritate plerumque inducti, perperam adhuc exposuerint, multo verius intelliguntur novaque quasi luce illustrantur.

Hujusmodi igitur generis primum singulare est Ephraemi Scholion, in quo nonnihil quidem est dubitationis, loco 1 *Reg.* 12, 10. subjunctum. Verba autem, quae ibi exstant, a Gabriele Sionita convertuntur hunc in modum, *Digitus meus minimus* (חֶצְרִי) *grossior* (crassior) *est pollice* (כַּרְהָא) *patris mei.* Contra autem Ephraemi est interpretatio haec: *Eo major sum ego patre meo ac fortior, quo femur* (כַּסְּסָא, ὀσφύς) *majus et fortius est digito minimo.* Videmus ergo, verbum כרהא, ex Gabrielis Sionitae interpretatione, quam sectatus est Castellus (Lex. syr. ed. Michaelis p. 437), significare *pollicem.* Sed quaerendum est, verene id, quod viri docti volunt, exprimere in mente ei fuerit, qui Versionem istius loci syriacam composuerit. At vero hoc maxime debet dubitari. Primum enim quod interpres Arabs, qui potiorem quidem librorum historicorum partem e syriaco

fonte duceret, vocabulum hebraeum מָתְנַיִם (femora), *pollicem* hic transtulerit, nihil prorsus efficit; neque enim in interpretationis arabicae partem, quae inde a I Reg. XII. ad II. Reg. XII. procurrit, si sententia Syri quaeratur, debet provocari, quum tota sit ex hebraeis conscripta. Conf. Aem. Roediger de origine et indole arab. interp. etc. p. 48. Deinde vero multo gravius hoc est, quod כרתא omnibus in locis, quibus legitur, de *pollice* dictum est. Conf. Roediger l. l. ann. 56. Atqui ubicunque legitur et *pollicem* denotat, aliis punctis vocalibus illud invenies instructum, nimirum כּרֹתָא. Quae quum ita sint, ex Aemilii Roedigeri auctoritate, statuendum videtur, duplicem, diversae quidem significationis, exstare apud Syros illius verbi formam alteram כַּרְתָא, quae *femur* est, alteram כּרֹתָא, quae *pollicem* significat. Quodsi Ephraemus כרתא *femur* esse et כּלֹסְתָא intelligendum censet, nihil impedimur, quin sumamus, interpretationis syriacae auctorem כַּרְתָא pronuntiasse et *femur* intellexisse, Ephraemum

autem, ea, quam explicavimus, ratione suo jure interpretatum esse. Quid enim? Num putas, Ephraemum, qui prisca et inusitata Syrorum verba, praeclare saepenumero exposuerit, syriaca non intellexisse ac verum hebraeorum sensum conjectura tantummodo tam praeclare esse assecutum? 2 *Regg.* 13, 20: קברוהי *sepelierunt eum*; Ephr.: עפיוהי pr. *sindone involverunt eum*, h. e. *sepelierunt*. cf. Vita Ephr. Opp. III. p. XLIV. *Assem.* B. O. I. p. 31. v. 16. — *Jes.* 3, 24. In hebraeis legitur: *Pro opere tornato* (מעשה מקשה) *caesaries* (קרחה). Syrus hebraea sic imitatur: חלף בלורא קורחתא. (Est tamen in sing. legendum בלורא, quemadmodum declarat Ephraemus). Jam vero Gabr. Sionitam, qui convertit: *loco gemmarum incisiones*; multi fuerunt, veluti Michaelis in Lex. syr. p. 104. in Supplem. p. 1680. Rosenmüllerus in Schol. ad Jes. ed. 2. I. p. 136. et Gesenius in Comm., qui vituperarent. Atque adeo Michaelis, quam tulerat, sententia, syriacum בלורא in chaldaeis esse בלוריתא *caesaries*, et pro קורחתא, ubicunque

legeretur, scribendum esse קוּרחְתָא *calvities,* omnibus probata fuit. Atat, si quid video, Gabrielis Sion. interpretatio non ita multum a vero abest. Namque Ephraemus vocem בלורא ipsum *gemma* intellexisse videtur, quumstatim explicationis caussa sit adscriptum בְּלוּרָא דבְּכלִילָא *Belura* (est) *in coronis, diademate.* Tum addit: *Imponent capitibus suis* קוּרחְתָא *nimirum vittas luctus,* אֶסָרָא אֶבִלָנְיָא, *quibus viduae caput obnubere solent.* Patet igitur, si Ephraemo aurem praebueris, syriaca vertenda esse: *Pro gemmate* (cincinnis capillorum inserto) *vittae luctus.* — 10, 30. Hebraeum הקְשִׁיבִי עֲנָתוֹת accuratissime Syrus reddidit עַנִי עֲנָתוֹת. Gabriel Sionita autem male ex syriaco: *responde Anatoth*, atque haec, ut putatur, Syri sententia, reprobatur a Gesenio in Comm. I. 1. p. 413. At vero ex Ephraemi certe interpretatione, verbis vexatis asserta, hoc praesto est, interpretem syrum exprimere sibi voluisse: *animadverte, curam adhibe.* Pergit enim in his: דַלְמָא נְאחדוּנָכִי וגו' *ne corripiant te calamitates, quae vicinae urbes passae sunt.* — 15, 5. In sy-

riacis leguntur haec: עַדְמָא לְצֹעַר עֶגְלְתָא תוּלְתָא quae Gabr. Sionita expressit: *Usque ad Soar vitulam triennem*, quasi תולתא esset Appellativum et ad מוֹאָב, longius inde remotum, referendum. Atque hanc sententiam in mente habuisse Syrum, censuit etiam Gesenius ad l. l. p. 526. Jam vero ex vocis תולתא ambiguitate jam satis incertum est, verumne *triennem*, an potius *tertiam* exprimere voluerit. En vero confirmatur vocis ambiguitas ista interpretatione Ephraemi: *Sive una ex tribus Moabi partibus Zoar est, sive significat, Moabi gloriam post tres annos casuram.* — Vs. 4. in syriacis est מַחְלְצוֹהי נְקְעוּן, in latinis Gabrielis Sion. autem: *inguina ejus strepitabunt,* quasi Syrus hebraeum חלצי extulisset צַחָלֵי neque חֲלָצַי, quamquam jam ex syriaci sermonis usu vocis hebraeae significatio interpreti praesto esse debebat, quum חַלִּיצָא denotet *armatum.* Conf. *Barhebr.* Chron. p. 219. lin. ult[269]).

269) v. Gesen, Comm. ad Jes. I. 2, 523. Alibi חליצא est *prudens, cautus,* I, 407. D. 412. B. III, 56. B; *nudus* etiam, II. 179. D. ubi synonymice dictum est עַרְטִלָיתָא

Verum syriaca rectius intelligenda esse: *Armati ululabunt*, ex eo perspicitur, quod Ephraemus addit: (ululabunt) בפורלידהון כבר *fortasse propter armaturas suas;* h. e. quia arma exuere compellentur [270]) *Thren.* 2, 1. Syrus convertit his verbis *Deus caligine obtexit* (אעֵיב) *filiam Sionis*, quibus annectit Ephraemus haec: *caligavit* (אעמֵט) *superbam ejus gloriam.* Patet igitur, formam Aph. אעיב vere denotare *obscuravit*, quod negavit Michaelis in Lex syr. p. 639. — *Ezech.* 7, 17. *Manus dissolventur* (נֶתרַשׁלָן). Sequitur explicatio: *Manus eorum viribus defectae* (נָאשָׁן) *debilitabuntur.* Castellus verbo נָשׁ (conf. Ephr. I. 181. A: נֶשֵּׁת) exempla non adscripsit; v. Mich. Lex. p. 542. — Dan. 11, 21 hebraeis consona sunt, quae in syriacis leguntur: *Obtinebit regnum fraudibus* בשׁורעָתָא Epraemus male quidem profert שׁורעָתָא, sed novum eo Lexicis accrescit additamentum. Petrus Bened.

---

270) פגורסא in isto loco aperte significat *armaturam*, alibi simpl. *operimentum, velamen.* II. 285. D.

verbum redidit *casus*, melius tamen fortasse tribuis ei significationem: *blanditium, fraus.* Ex Ephraemi verborum explicatione: „*occupabit regnum nullo negotio*“ de verbi notione nihil constat. — *Jud.* 3, 22. hebraea verba ויבא גם הנצב אחר הלהב Syrus haud male sic vertit: וְאָתָא מַרקְקָה בְּתַר מחוּתֵה et Gabr. Sionita: *Adeo ut capulus ictum sequeretur.* Iam vero si Castellum consulueris (ed. Mich. p. 875.), verbo מרקקא adscriptum invenies haec: „Venter exterior s. summus circa umbilicum, epigastrium. Jud. 3, 22.“ Sed manifesto hic locus errore adhibetur, quum verbum illud significare ibi nihil possit, nisi capulum. Atque idem apparet ex Ephraemi verbis: *Immisit etiam capulum* (לִמַלבְּבָא) *post vulnus et clausit* (capulum) *adeps.* — 1 *Sam.* 2, 36. גְּרִיצְתָּא דְלַחְמָא *placenta panis.* Ephraemus explicat ד׳ קְצָתָא *frustulum panis.* cf. Mich. Lex. p. 820. — cap. 9, 24. pro טַבָּחָא (*coquus*), tamquam verbo idem significante, utitur מְיַגַּרְשָׁא quae forma Lexico deest. — cap. 16, 12. *Pulchri* (שַׁפִּירִין) *oculi ejus.* Ephr. multo significantius addit:

splendentes oculi ejus, זרגן עינוהי, eademque significatione verbum זרג utitur in iis, quae statim insequuntur (I. 365. E.), in quibus ad locum Gen. 49, 12. respicit. Injuria igitur hanc significationem addubitavit Michaelis in Lex. p. 265. — 2 *Regg.* 1, 1. *Decidit de cancello* (מן כסוסטרון) *cubiculi sui superioris.* Ephraemus autem in scholio verba commutat et ponit haec: *Decidit de cancellis superioribus* (מן קיטונא עליא) *palatii sui regii.* Quomodo vero fieri potuit, ut verbum קיטונא in Lexico omissum, cancellum s. clathrum fenestrae denotet, facile est ad videndum. Forma enim vim suam inde duxit, quod cancellorum, per quos aura frigidior perspirat, maxime *aestatis* tempore usus fit. [271]).

271) Ad verba *Jud.* 5, 28. »*prospexit et clamavit mater Siserae per clathros* (כסוסטרון)« explicationis caussa addit Ephraemus, eam stetisse *in conclavibus domiciliorum superiorum*, בארונא דבתא עליא. Maximo jure miraberis Michaelem (in Lex. p. 17.), dicentem אוריא per Jud. legendum, esse vocabulum *rarius*: nunquam enim און Syris esse *habitare*, nec sine magna anomalia cum hebraeo עון per Ain, scripto conferri posse; immo verbum referendum esse ad ארח (arab. ارى *hospitio excipere et hospitari*). Atat quam

c.) *Verba difficiliora brevissimis additamentis exponit.*

Gen. 1, 2. haec infert ad verbum תהומא explicandum: תהומא דין דמיא *abyssus scilicet aquarum.* *Job.* 27, 2. *Cohibet me* h. e. *dolore meo cohibet me.* 2 *Sam.* 14, 42. ארמו *mittite* (הפילו) Ephr. addit: ה פצא nimirum *sortes.* *Jes.* 1, 3. לא ידע *ignorat.* Ephr. לא ידעני *ignorat me.* *Thren.* 1, 9. *Principes ejus cervi.* Ephr. *timidi quasi cervi.* *Dan.* 10, 12. *Verba tua.* Ephr. *verba precationis tuae.*

50. Tertium est, ut dicatur, quomodo verba peregrina, maxime quidem hebraea, in syriacis retenta, explicaverit. *Gen.* 1, 6. Terra fuit תהו ובהו. Ephraemus interpretatur הכר דין דשהיא הות וצדיא h. e. *vasta et vacua.*

---

plurimis in locis incurrit vox אונא, per Nun scriptum, nec dubitari licet, quin a radice און vere descenderit, praesertim, quum literae א et ע in linguis semeticis haud raro commutentur, imprimis in dialecto aramaea. Conf. Gesenii Thesaurus, pag. 2. № 2.). Atque verum hic jam vidit Schaaf. in Lex. syr. ad N. T. p. 7. Nomen אונא autem in universo est *mansio, habitatio.* Joh. 14, 23. plur. st. emph. אונא *mansiones, sedes* Joh. 14, 2. Ephr. I. 292. D. 306. F 313. C. *conclavia, cellae* I. 316. A. de receptaculis defunctorum p. 389. E. de itineris *stationibus* II. 39. C.

Significatio autem *vastus, vacuus* formae צַדְיָא apud Michaelem in Lex. p. 751. non est adscripta. Cap. 2, 8. p. 22. D. v. 10. segm. F. עֵדֶן ipsum Paradisi (גַּן) nomen male habet; tum vero optime illud explicatur אַרְעָא מְעַדַּנְתָא *terra amoena* Ceterum aliis in locis scriptum est עֵדֶין. II, 188. E. 191, C. 292. E. — cap. 28, 19. בֵּית אֵיל h. e. בַּיְתָא דְאַלָהָא *domus dei* cf. ad. 1 Regg. 2, 23. I. 522. F. — Job. 42, 14. אִימְמָא, (hebr. יְמִימָה) inquit, נוּהְרָא מְתַפַּשְׁקָא *interpretatur lux.* Novo igitur argumento confirmantur ea, quae praecipit Kirschius ad Pent syr. praef. p. 4., אימּמא eo differre a יומא docens, quod illud nisi eam diei partem, qua sol luceat, sive diem angustiori sensu dictum, non significet, hoc vero totum XXIV. horarum diem complectatur. Qui verbi אימּמא usus aliunde etiam comprobatur. Conf. Acta Ephr. in ej. Opp. III. p. XXXIV. בְּלִלְיָא וּבְאִימָמָא *noctu et die.* — ibid. קְצִיעָא (in hebraeis קְצִיעָה) Ephraemus interpretatur *lignum* (קַיְסָא), קַרְנְפוּךְ (hebr. קֶרֶן הַפּוּךְ) inter pretatur קַרְנָא הְפִיכְתָא *cornu conversum.* Videtur in hanc contortam sententiam incidisse prop-

ter verborum similitudinem. — Jud. 8, 26. סַהֲרֹנָא (in hebr. שַׂהֲרֹנִים) *lunulae* h. e. *bullae aureae*, זִיוָא דְדַהֲבָא: Forma זִיו in Lexicis syr. desideratur; est tamen in chaldaeis זִיו, זִיזָא *trabo parva, tigilla, tabula.* conf. Buxtorfii Lex. talm. et chald. fol. 663. — 1 Sam. 6, 15. inter עֲלָתָא (hebr. עֹלֹות) et inter דִּבְחָא (זבחים) distinguit hunc in modum: עלתא dicit *holocaustum* (נִקְדָא שְׁלָמָא), דִבְחָא autem *sacrificium pacificum* דִשְׁלָמָא. סוֹרְתָא Vox סוֹרְתָא omissum est apud Castellum, ed. Mich. p. 582, proprie autem est *id quod desideratur*, inde Syrus Ez. 16, 19. secundum hebraeum רֵיחַ נִיחֹחַ scripsit רֵיחָא דְסוֹרְתָא; deinde *sacrificium* II. 21. ad. Jes. 1, 13. I. 344. B. plur. סוֹרְתָא *oblationes, sacrificia.* I. 497. D. — cap. 9, 12. בִּים (in hebr. בָּמָה) recte explicatur רוּמָא *altitudo.* — cap. 14, 4. בֹּצֵיץ (in hebraeis *rupes* בּוֹצֵץ) אֲוֹכִית רַקִּיקָא, Bozez, *nimirum exilis,* (רַקִּיקָא), *fortasse quia facilis erat* (rupis) *ad conscendendum, vel quia latera ejus ad modicum spatium erant porrecta.* Videtur hanc rupis interpretationem a magistro Judaeo sibi accommodasse, qui formas בוץ et פוץ

confunderet. Tum vero pergit: *Alterius* (rupis) *nomen est* כּוּפֵא (סֶנֶּה), *nimirum acervus* (בִּגְּרָא), *exstructus ex copia lapidum ad unum montis cacumen* (שַׁבָּא) *compositorum.* Ephraemus vocem illam, ex hebraea depravatam, e sua lingua explicavit. 2. Sam. 8, 7. ex hebraeo שִׁלְטֵי transcripsit Syrus שׁלטֵי, atque Ephraemus interpretatus est hunc in modum: *Hoc est vel brachialia aurea* (קוּלְבֵּא) *vel pharethas* (קמּירקֵא) *aureas.* Verbum latius patuisse, utrumque ergo hoc significasse, et pharetras et armillas, censuit Michaelis ad Cast. Lex. p. 915; *pharetras* interpretantur multi etiam explicatores antiqui, inter nostrates Rosenmüllerus ad Ezech. Ed. 2. T. II. p. 147. Döpke ad C. C. p. 134. Sed ea, quae de voce illa, Syris quidem, ut videtur, cum Hebraeis communi, tamen id temporis prisca jam et inusitata, dubitanter protulit Ephraemus, ad quaestionem de vocis vera significatione dirimendam nihil afferunt, quum nisi ex conjectura orta non videantur. Vix enim dubium esse potest, quin שלט *scutum* denotet, quae

vocis interpretatio nititur et locorum contextu et Judaeorum auctoritate. Conf. Gesenius s. v. שָׁלֵט. — cap. 12, 25. נְדִידָא (in henr. יְדִידְיָה); Ephraemus e lingua sua explicat: הָנֵו רְחִימָא h. e. *dilectus*. Conf. Aemilius Roediger de indole etc. p. 83. 1 Regg. 7, 21. *Nomen alterius* (columnae) יָכִין h. e. *stabiliat* (נכין) *et vox est ejus, qui exoptet, aedificium fore stabile; et nomen alterius* בֹּעַז h. e. *fortitudine et robore* (בעֻזָא וַבעַזִיזוּתא). — Jes. 19, 18. *Et harum* (urbium) una vocabitur אֲרֵס (sic enim, falso quidem, in Ephr. Opp. legitur, pro אֶרֶס, quod est in Polyglottis.) Ephraemus vexatissimo isto nomini adscripsit haec: מְדִינְתָא. דַזֵדִיקוּתָא ה̄ h. e. *urbs justitiae*. Primo igitur obtutu, Septuagintaviros, qui hebraea עיר ההרס convertunt *πόλις Ἀσεδὲκ*, accommodasse sibi Ephraemus videri possit; sed hoc putare, ne ferri quidem posse, similibus exemplis satis nobis probasse videmur in Comment. crit. p. 15. sqq. [272]). Sed triplex altera nobis est re-

272) Unus tamen restat locus, qui multum habet negotii. Est enim Ephraemi interpretatio ad Gen. 6, 3. in Scholiis ex

licta ratio, ad enodandam eam quaestionem, unde interpretatio, de qua ambigitur, emanaverit. Sive enim nihil est, nisi de voce illa dubia et quasi desperata quaedam conjectura, earum sententiarum, quae a Bar-Bahlulo proferuntur [273]), simillima; sive ex

Catenis desumtis I. 146. D. — 147 D. Versionis syriacae verba, quibus hebraea summa fide sunt expressa, haec sunt: לָא תֶעְמַר רוּחִי בְּאֱנָשָׁא *non habitabit spiritus meus in homine.* Apud Ephraemum autem male depravatum legitur בַּבְנַיְנָשָׁא הָלֵין *in hominibus istis*, quod additamentum est ex graecis, ut patet, assumtum. Septuagintaviri nimirum ex dogmatica, ut videtur, caussa exhibent haec: *οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμα μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τέτοις.* — Jam in iis, quae explicationis causa insequuntur, *spiritum* illum non de spiritu sancto, sive de imagine divina, intelligit, sed de *spiritu vitali* (נשמתא דחיא Gen. 2, 7. נפשא Ephr. I. 22. C.), atque eos tantum homines designatos putat, qui Noachi aetate moribus essent depravati et corrupti; his igitur, inquit, deum denunciare, vivendi eorum spatium angustioribus contractum iri finibus. Hoc ergo in aprico est, additamenti illius in ipsa Ephraemi interpretatione rationem esse habitam; atque idem cadit in Scholion, quod invenies I. 150. A. Sed utramque eam interpretationem non esse Ephraemi, jam ex eo intelligitur, quod in Commentariis ipsis (p. 49), qui certo genuinam habent originem, hebraea accuratissime sunt expressa. Itaque Jacobo Edesseno videntur restituenda, quae Ephraemo, at injuria, hodie vulgo accensentur.

273) Gesenii Comm. ad Jes. I. 2. p. 631 — 633.

loco Jes. 1, 26 (עִיר הַצֶּדֶק), quo jam Septuagintaviri uterentur, originem duxit, sive, quod quammaxime veri mihi simillimum videtur, seriore demum tempore, graecis a male sedulo quodam est desumta atque Ephraemi Scholio intrusa [274]). Atque haec mea sententia eo confirmatur, quod statim apud Ephraemum alia quaedam, et diversa

---

274) Sic etiam verba textuaria Dan. 5, 25. in Ephraemi Commentariis ex graecis sunt corrupta. Accuratissime egit Syrus interpres, quod verba illa, parieti inscripta, his verbis reddidit: מְנֵא מְנֵא תְּקֵל וּפַרְסִין, *numeratum*, *numeratum* (h. e. definitum est), *appensum* (est), *dividentes* (h. e. dividetur); in quibus hoc tantum monendum est, puncta vocalia genuina tempore excidisse atque aliis spuriis esse commutata. At vero Ephraemus, quemadmodum hodie exstat, secundum graeca exhibet: מָנָא תְּקַל פְּרֵס et in Scholio, פְּרֵס. Presse igitur graeca *μανὴ*, *θεκὲλ*, *φάρες* in. Cod. Chis., apud Theodot. et Joseph. Ant. X. 11. 3 exstantia, sequitur, si a paucis punctis vocal. discesseris; atque eandem scripturam expressit Jacobus Edessenus (ap. Ephr. II. 211.), qui Versionem graecam disponeret (Comm. crit. p. 19.). Certe enim exhibet פְּרֵס, quod explicat תְּרִיעֻתָא *scissio*, *divisio* (פרס = פרץ), sicuti in proxime sequentibus vocem פְּרָצִים (2 Sam. 5, 20.) *scissos* (תְּרִיעָא) vel *divisos* (פְּלִיגָא) significare affirmat. Male igitur verba illa pro nominibus habet, quemadmodum etiam fecerunt Josephus, Hieronymus et Polychronius.

quidem, insequitur interpretatio, nimirum hujusmodi: *Ares vero urbs est in Aegypto notissima.* Cogitavit igitur cum multis aliis de Heliopoli; atque ea explicatio fluxit ex scriptura hebr. חרס. — Amos 5, 21. hebraeum verbum בעצרתיכם (in *coetibus vestris*) a Syro quidem est retentum בְּעֻצֹּרֵיהּכוּן, sed haud intellectum; certe apud Ephaemum explicatur: ה̄ בחַמְרָא דנִוקִיכוּן i. e. *vinum libationum vestrarum.* Significat igitur verbum עצרא apud Syros: *conculcatio*, *expressio*, neque *immolatio*, sicuti exstat apud *Castellum*, edit. *Mich.* p. 667. En vero confirmatur significatio ista, loco simillimo, quem adscripsit Ephraemus ad 1 Sam. 21, 8. (I. 376. E): *Vocabulum hebraeum* נעצר *commune nobis est cum Hebraeis et proprie intelligitur de eo, quod faciunt, qui calcent oleas vel uvas; tum transfertur a specie ad genus indeque fit, ut cujusvis generis vis et coactio* (עֻצְּתָא, coactio pressio, injuria II. 514. B) *eo designetur.* — *Ergo vocabulum* נֵעֲצַר *id significat, quod suppressum et absconditum est* (דַעְצִירָא אַו דַמְטַשְׁי הְוָא) *Dan.* 8, 2. Pro hebraeo אובל (*flumen* paul-

lum immutatum apud Syrum legitur אֲבוּל, et secundum linguam syriacam verba: עַל אֲבוּל עוּבָלי ab Ephraemo explicatur hunc in modum: ה̄ עַל תַּרְעָא דְּמַיָּא h. e. *juxta portam aquarum.* Abul enim, monente Assemani B. O. I. 75., apud Syros portam, vestibulum, porticum et columnam significat. Atque hoc memorabile est, quod interpretes antiqui fere omnes, excepto Symmacho et Vulgato, vel, ut Septuagintaviri, testibus Hieronymo et Theodoreto in Commentariis ad istum locum, *portam* redderent, vel, ut Arabs, converterent *in porticu s. in vestibulo,* vel, ut alii, ex Ephraemi memoria, *juxta columnam* (אַחרָנֵא אמרין. אֶסטוּנָא, *alii interpretantur columnam*). — Cap. 6, 19. in hebraeis legitur בָּת טְוָת, quae accuratissime expressit Syrus בֿת טוֿת, ab Ephraemo autem sic explicata: ה̄ דמֵךְ צַירָמָא *incoenatus dormivit.* [375]).

---

275) Ephraemus ad verba Dan. 8, 13: אֱמַר חַד קַדִּישָׁא לַפלֹוּמֹני *et dixit sanctus quidam ad alium nescio quem*" ne verbo quidem indicavit, vocem פלוּמני, ex hebr. פַּלְמוֹנִי retentam, pro *nomine proprio angeli* esse habendam, quod autumasse de interpretationis syriacae auctore perhibet Mi-

51. Quartum est, ut exponatur, quomodo verba Versionis simplicis, tamquam inusitata ac prisca, reddiderit apertiora; in quibus explicandis haud raro ipse haesisse videtur. Quo autem in genere, quum multa, vel ab aliis, nimirum a Michaele ad Castellum, Rosenmüllero in Scholiis ad Ezechielem, Roedigero et Wisemano in libris satis notis, vel a me ipso in Commentatione critica, jam satis sint exposita, ea tantum, quae explicanda adhuc nobis sunt relicta, vel in quibus adhuc plusculum est negotii, hic notabimus. *Gen.* 6, 16.

---

chaelis ad Cast. p. 710. Jam vero etsi in eundem errorem, cujus Syrum arguit Michaelis, lapsum videmus Polychronium in Comm. ad l. l., in Script. vet. nova Coll. ed Maji T. I. p. 133., ubi haec notata invenies: *φελμονὶ ὄνομα ἐστὶν ἀγγέλῳ ὅτῳ δὲ τινί*, tamen equidem nescio, an Syrus injuria vituperetur, quum in interpretatione ejus, hebraeis quam accuratissime adaptata, nullum erroris, cujus accusatur, vestigium reperias. Constat etiam, vocem פלמני, quamvis plerisque Aramaeis ignotum fuerit, aliis tamen praeclare fuisse intellectum et usitatum; hoc enim efficitur iis, quae Theodoretus protulit ad illum Danielis locum: *Τὸ φελμουνὶ τόν τινα σημαίνει τῇ ἑλλάδι φωνῇ· μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ ἡ Σύρων φωνὴ γειτνιάζουσα τῇ ἑβραΐᾳ.*

verba hebraea צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה *lucem* (h. e. fenestram cf. 8, 6.) *facies arcae,* Syrus sic imitatur: זַוִידָנֵא עְבֵד לְקֵבוּתָא (Edit. Lee. male זְוִידָנֵא), perperam quidem pluraliter. Jam vero homines critici, veluti Michaelis ad Cast. p. 246, et Rosenmüllerus in Schol. ad Ezech. I. 114. edit. 2, de vocis זוידנא significatione anxie haerent; etenim significationes, a Castello voci subscriptas „*obliquae fenestellae, turres, pinnae murorum, speculae* maximam in dubitationem vocant, itidemque dubii sunt de Gabrielis Sionitae interpretatione, qui illum Geneseos locum vertit: *et speculas fac arcae.* Jam vero si Ephraemum consulamus (ad. Gen. I. 147. E.), quem siluisse hic injuria censet Michaelis, sic interpretantem eum audimus זְוִידָנֵא הָנֵי דֵין מַנְהְרָנֵא אַוְכִית כַּוֵּא *S^evidone autem sunt luminaria, nimirum fenestrae.* En lectissima, si a numeri pluralis usu discesseris, vocis hebraea צֹהַר explicatio! Eademque plane significatio est voci S^evidona in loco Ez. 4, 2., ubi Syrus in explicandis verbis וְשִׂים עָלֶיהָ כָּרִים סָבִיב *et pone contra ea* (Hie-

rosolyma) *arietes circumcirca*, singulari ratione versatur, vertens וַעְבֵד לְהּ זַוִּילְנֵא כַּד חֲדָרָא *et fac iis fenestras circumcirca.* Convertit igitur hebraeum כָּרִים in *fenestras*, perinde ac si nomen descenderet a verbo כּוּר *fossit*, atque inde nomen כָּר *foramen, per quod lucis fit irradiatio* h. e. *fenestra*, ad similitudinem vocis hebr. חוּר Jes. 11, 8. alteraque forma חֹר C. C. 5, 4., a radice חוּר, cui, ut videtur, *perforandi* notio tamquam primaria est adscribenda. Conf. Gesenius c. v. Ceterum extremo, quem posuimus, loco, Gabriel Sionita vertit: *fenestras obliquas*, cujus interpretationis rationem ego non assequor. Itaque cautum nobis erit, in significatione *fenestra* subsistere; ea enim, quam subjunxit *Castellus*, „*turris, pinna murorum*, nescio an ex illo Ezechielis loco male intellecto emanaverit. — Gen. 43, 11. nomen בָּטְנִים *pistaciae*, syriace scriptum לֹטְמָא. Lotme autem sunt, Ephraemo interprete, *pistaciae* (לֹטְמָא דְהָנוּן בֹטְנֵא I. 97. D.). — Num. 11, 20. verbis: *Et erit vobis* אַפְּתְּרָא haec adscripsit: הָנוּ לְמֶרְתָא. אַפְּתְּרָא גֵיר הֵי דְאִיתֵיה מְחַבְלָנִיתָא

דאסטומכא h. e. *in fastidium* (amaritudinem). *Aph'thora enim id significat, quod stomacho nocet.* Conf. Michaelis p. 63. — Jud. 8, 27. ליפרא, in hebr. אפוד, sic enim emendandum est, quod in Polyglottis et Ed. Leeana legitur עיפרא. Conf. Aemilius Roediger de indole etc. p. 75. Male equidem hanc emendationem neglexi in Comment. crit. p. 53. Ab Ephraemo autem vox illa praeclare interpretatur per צלמא *idolum* (*virile*, secundum Ephraemum ad Ezech. 16, 16. cf. Wiseman l. l. p. 134.). — 2 Reg. 4, 39. *Et collegit* פקועא דדברא (in hebraeis פקעת שדה *cucumeres agrestes*). *Nonnulli dicunt*, inquit Ephraemus, *eum collegisse* קרעוניתא (*colocynthides*, cucumerum genus quoddam); *alii vero* (dicunt) *eos* (collegisse fructus), *qui vocantur* בנת מריר [276]), *unde emanant succus salutares* (אסותא) *et medicina, quae* (stomachum) *liberat et purgat*

---

276) *Castellus* apud Michaelem p. 520. secundum Bar-Bahlulum: *cucumeres silvestres.* Contra Petrus Benedictus vertit: *Aloe fructus.* Sed revera cucumerum quoddam genus hic indicari videtur.

(סַמָּא מְפַצִּינָא וּמְדַכִּינָא). *Porro alii eos* (hic intelligendos esse fructus perhibent), *qui ab hominibus rusticis appellari solent* קְטַר חמור (h. e. *cucumeres asinini*, cf. קטותא I. 350 C.); *namque fructuum* (אורשׂא), *quos diximus, gustus amarus est et ad similitudinem vitis accedunt.*

52. Quintum est, ut ponamus vocum geographicarum explicationes, quarum multae tamen jam in Comm. crit. p. 49. sunt expositae. Gen. 2, 11. I. 23. B. גִּיחוֹן נִילוֹס Gichon s. *Nilus* Jer. 2, 18. גִּיחוֹן אוּכִית נִילוֹס Gichon, *nimirum Nilus. Schichura autem flumen illud appellat, quod lutum aquarum claritudinem turbat* (מְשַׁחַר). Ad Jes. 23, 3. dicit: *Flumen vocat flumen Aegypti Schichor.* Conf. Gesenii Thesaur. p. 281. — Gen. 10, 10. I. 58. B. אֹרֶךְ h. e. Edessa (אֻדְסָא) v. Assem. B. O. I. 26. ann. I. 1. 469. fin. II. 102. ibid. אַכַּד h. e. נְצִיבִין. v. Gesenii Thesaur. p. 89. — 2 Reg. 14, 25. יַמָּא דְעַרְבָא *mare deserti* h. e. יַמָּא דְמִלְחָא *mare salis.* — 19, 37. *Terra Arrarat* h. e. *montes Carduchici* (טוּר קַרְדוּ) *in quibus arca*

filiorum Noachi substitit. — *Jer.* 2, 10. *Cittaeos* (כִּתָּיֵא) *eos appellat, qui ad Occidentem terrae promissionis habitant; per Cedraeos* (קֵדָר) *designat terrae Canaan Orientales.* — 43, 13, בֵּית שֶׁמֶשׁ *ea urbs est, quae Heliopolis* (אֲלִיוּפּוֹלִיס) *in Aegypto appellatur.* — *Amos* 9, 7. קִיר h. e. קְרֵס (Carrae) *quae et* חָרָן *Charan.* — Aliis tamen in locis male deliquit; cujus generis exempla ponamus haec; Phison, censet ad Gen. 2, 11. I. 23. B. esse Danubium (דַנוּבִיס). Gen. 10, 11 וְחַבּוּת קִרְיָתָא (hebr. רחבת עיר) habet pro חֲדִיַב I. 58. B, 158. T. ibid. 4. כִּתִּים' explicat: הֲוִיוּ אֲבוּהוֹן דְהֲרוֹמָאֵי h. e. *pater Romanorum.* Jer. 46, 25. אַמּוֹן דְמַיָא *Ammon aquarum* (hebr. אָמוֹן מִנֹּא) h. e. אֲלֶכְסַנְדְרִיָא *Alexandria.* — *Ezech.* 6, 14. דִבְלָתָה (hebr. דִבְלָתָה) h. e. *Daphne* (דַפְנָא) *prope Antiochiam.* Jes. 21, 11. Dumam urbem in montanis Jdumaeorum sitam putat. Ad 1 Regg. 10, 11. ex aliorum traditione enarrat, Ophiram in India quaerendam esse.

53. Sextum denique est, ut de scientia ejus, quam in rebus naturalibus praestiterit,

loquamur: quamquam genratim jam in superioribus (p. 45) de ea diximus. Namque incidunt in Commentariis illius generis explicationes quaedam, ad imagines et tropos sermonis solvendos potissimum adhibitae; ejusmodi autem generis haec sunt, quae sequuntur. Ad. Jerem, 17, 11., ubi perdici (חֲגִלָא), quae ovis incubat, nec ea excludit, comparatur is, qui modis injustis divitias colligit, in medio vitae suae cursu eas deserere cogitur et tunc stulte egisse intelligit, haec attulit: *Est ille* (dives) *sicut perdix, quando ova e nidis aliarum perdicum insidiose furatur, iis incubat, ea fovet, et parvas perdices excludit. Quando autem pulli crescere et provolare incipientes vocem matrum suarum percipiunt, illas sequuntur, relicta perdice, quae suam conditionem deplorat, quod frandulenter vocatae ei non respondeant. etc.* Ad Deut. XIV. 12. (I. p. 176.) de Struthiocamelo (נַעֲמָא) his verbis est loquens: *Haec avis, quamprimum frusta et clavos ferri collegit, in stomacho illa commolit, donec excrementa evadant.* De eadem avi ad Job.

39, 18. haec refert: *Equum quoque et ejus vectorem sustollit, et per aerem avolat.* De *Pelicano* (קָקָא) et *vulture percnoptero* (שְׁרַקְרָקָא) ad Deut. 14, 12. (p. 276.) sic loquitur: *Hoc avium genus in reptilia locis palustribus assueta devolat, iisque vescitur. Amat desertum et continuo sine intermissione vocem profundit.*

54. Quoniam Ephraemi interpretationem, quae ad historiam pertinet et linguam, singulis probavimus, nunc ad eum locum, qui extremus erat, descendamus. Sequitur ergo, ut ex praestantissimis variorum generum explicationibus, quibus dictorum sensum et tenorem nexumve copiosius ostenderit, sive historicam monstraverit eorum relationem, sive notitias, populorum moribus et institutis cognoscendis aptas, praeclare attulerit, secundum ordinem librorum, disponamus; quo continget, ut rationem ejus atque indolem uno quasi conspectu cognoscatis.

Gen. 27, 33. Isaacus benedictiones suas revocare non potuit; primum, quia intellexit, eo (erro-

re) impletam fuisse domini voluntatem, Rebecae (oraculum consulenti) significatam: deinde, quia Jacobo dixerat: qui maledixerint tibi, sint maledicti: Timuit igitur, ne, si malediceret ei, ea maledictione non Jacobum, cui ante benedixerat, afficeret, sed maledictio labiorum suorum in ipsum suum caput converteretur. Cap. 28, 12. Scalam quam vidit (Jacobus in somnio), propter angelorum ascensum et descensum vidit. Quod autem angeli descendebant et ascendebant ad eum, tempore somnii, (deus) manifesto significare voluit, manum providentiae versari super eum, neque solum *si ipse sibi vigilaret* [277]), eum curare. Ecce enim in somnio ejus etiam angeli illi, quibus de eo mandatum fuerat, descendebant et ascendebant ad custodiam ejus. Providentiam enim absconditam, quae erga eum (Jacobum) fuit, visione scalae manifesto (deus) declaravit ei. — 31, 48. Acervus, qui a pluribus exstructus est, quasi ex plurium (testium) ore arguet eum, qui foedus violaverit, quod sancivimus ante plures.

---

277) בְּעֶלְיָא hic apertum est significare: *in statu vigilantis*, quemadmodum jam vidit Michaelis ad Cast. p. 652. Memorabilis autem est verbi עליא usus in loco Ephr. 1. 25. F: *verisimile est, Adamo* (cujus de costis unam tulit deus) *per visum fuisse objectum, quod tunc* בְּעֶלְיָא *in ipso gerebatur*; ubi nihil est nisi: *veritate, re vera.*

Exod. 2, 3—5. Parentes fiduciam posuerunt in deo et in pulchra forma infantis (sperantes), fore, ut qui primus arculam spectaret, deportaret et servaret infantem. Calidus autem fuit (אִתְכַּבַּר) dies ille super filiam Pharaonis, ne tempore suo (quo ire solebat), ad flumen venit lavatum. Etsi igitur propter aestum (כּוּרְבָּא) illius diei prodibat, tamen, quia non suo (h. e. solito) tempore prodibat, extra ejus voluntatem exitus ejus erat. — v. 21. 22. In matrimonium duxit Ziporam atque haec peperit ei duos filios. Circumcidit (Moses) autem unum, nec tamen alterum (Zipora) tradidit circumcidendum. Elatus enim fuit animus ejus (h. e. summam fiduciam posuit) in patre suo et fratribus suis. Etsi enim Mosis uxor fieri cupiverat, tamen fidei ejus filia fieri (h. e. communem ei religionis cultum tenere) non cupiverat. Filia fuit sacerdotum et sacrificiorum carnibus adolevit, multorum deorum cultui assueta. Nec tamen utrumque (filium) ei tradidit neque utroque eum prohibuit, sed alterum concessit, ut in eo Abrahami circumcisio inveniretur, alterum denegavit, ut eo exhiberetur praeputium domus (gentis) patris sui. Nec vero Moses animadvertit filios patrum suorum et socerum suorum, qui alterum secundum nomen fugae suae acceleratae, Dei caussa susceptae, vocaret, alterum autem secundum nomen liberationis suae a Pharaone appel-

laret[278]. 4, 24, 25: Quando illi fuerunt in diversorio (יַתְבִּיתָא conf. I. 194. D), deus occurrit Mosi, eumque occidere intentavit, quod in Midianitide circumcisionem unius ex filiis suis, nondum circumcisi, neglexerat. Neque enim (Moses) a die, quo (deus) cum eo in monte Horeb sermonem instituit, uxorem reviserat (pr. *uxori adhaeserat*, לְאַנְתְּתֵהּ אֶתְנַקַּת הְוָא). Haec autem animo anxia fuit, utpote quae narrationi ejus (mariti) non multum fidei praeberet. Propterea poenam luere debuit atque ipse (Moses) propter eam (Ziporam) accusatus est, ut quae filium ejus a circumcisione prohiberet. Inter has cogitationes (בְּהָלֵא רְנָיָא, alias רֵנְיָא) pernoctabant, et ecce Angelus apparuit utriusque caussa (h. e. utriusque errorem correcturus), annuntians, propter solam circumcisionem se apparere, nimirum ne irrideretur (ab Israelitis

---

278) Patet ex hac Ephraemi interpretatione, additamentum illud („*Peperit quoque filium alterum Mosi et vocavit ipse nomen ejus Eleazar, quia deus patrum meorum in auxilium meum fuit et eripuit me de gladio Pharaonis*“) vers. 22. e. Cap. XVIII. 3. intrusum, jam ejus tempore in Versione syriaca exstitisse. Num ex Graecis, an vero ex interpretis Syri ingenio huc translatum sit, disceptari possit. Cf. Comm. crit. p. 13. Ceterum, quod Ephraemus enarrat, Ziporam alterum filium marito suo denegasse nec circumcidendum tradidisse, fluxit ex cap. IV, 24. 25. cujus loci interpretationem statim supra adscribamus.

in Aegypto servientibus) adventus Mosis, ut qui nulla necessitudine coactus, circumcisionem neglexisset, quam tamen hebraei in filiorum suorum nece non abrogaverant. Apparuit igitur iratus super Mosem, (ut is disceret), quem timere eum oporteret, utrum deum, qui circumcisionem praeceperat, an vero *costam* (אֲלָעָא [279]), circumcisionis disturbatricem (מְפַגְּלִיתָא דְגזוּרְתָא). 7, 15. Quia fluvio sacrificare solitus fuit, ad flumen venit (Pharao), vel captare molliorem aurem omnibus diebus solitus fuit. Propter fiduciam in magis positam, veri est simile, regem fluvio Aegypti sacrificia obtulisse. V. 22. Itaque non inhibiti sunt (magi a signis imitandis) per Mosem; nam si adversus Mosem exstitissent, eos inhibuisset prima plaga, qui inhiberet et fugaret eos (postea) plaga ulcerum. Quum igitur (magi) ab ejus parte starent et adversus populum suum (pugnarent), noluit prohibere eos, quin populum Aegypti percu-

279) Singularis sane est usus vocis אֲלָעָא *costa* (pl. אַלְעִין Dan. 7, 5) apud Syros. Quemadmodum enim ארנו et בר אדם, אלמתניא etiam (I. 129. B.), speciatim dicitur *de homine debili et peccatis obnoxio*, eoque differt ab אנש et בר אנש, sic voce אלעא Syri utuntur de *femina peccatrice et infirma*. Cleopatra igitur appellatur *costa* II. 227; saepe etiam Jesabel; alias (II. 457. B) dicitur אלעא מחילתא הי *costa* h. e. femina, *infirma est*.

terent. Etenim cor *dolosum* [280]), quod a deo dissentiebat neque sibi ipsi constabat (erat magis). Pro eo, scilicet, quod magi eos, qui populum Aegyptiacum flagellarent, percutere iterumque insurgere debebant, quo populum eorum devorare Mosi non contigisset: surrexerunt unaque cum Mose ipsum populum suum plagis affecerunt. Neque igitur Moses eos inhibuit, quia etiam eo, quod intra ruinarum [281]) suarum sepimenta tenerentur, Aegypti ruinae majores fiebant. 14, 21. Verisimile est, inde ab eo tempore, quo mare divideretur, donec universus populus illud transgrederetur, manum Mosis erectam (פְּשִׁיטָא) fuisse protensam, quemadmodum postea factum est in bello cum Amalecitis inito (c. 17, 11). 16, 4 sqq. Mannae (colligendae) magnum laborem impenderunt (Israelitae), ne otium scilicet eos segnes redderet. 17, 9. Moses ascendit montem et virga dei (fuit) in manu ejus. Virgam autem nisi quum signa miraculaque patraret, non gestabat Moses. 24, 11. (p. 223. B).

---

280) נְכִילָא *dolosus*, *fraudulentus* I. 207 F. II. 437. C; *Castellus*, reprehensus jam a Gesenio ad Jes. I. 2. 885. 886., formae Adj. male subscripsit: *dolus*, *fraus* (נְכִלָא 2 Regg. 9, 23. Ephr. II. 213. C.)

281) תּוּרְעָתָא cum signo S'kofo literae Ee adscripto; sic ubique in Ephraemi scriptis. cf. I. 208. A. 482. D. II. 121. A. 221. ap. Jac. Edess. in Polyglottis תּוּרְעָתָא.

Super seniores non extendit (אָרְשֵׁב) manum suam ad obtegendum eos; nam ad visionem eos vocaverat neque ad prophetiam, quamquam et haec post longius temporis spatium (בָּתַר זְבַן מְהַימְנָא pr. *post stabile s. continuum tempus*) iis contigit.

Levit. 12, 6. Porro praecipit feminis, ante ostium tabernaculi orare, quia ethnicis illud facere solitum fuit. Ne ergo dicerent, rem (h. e. sacra) ethnicorum augustiorem esse dei (re), tabernaculi aditu cohibuit feminas. 19, 27. 31. *Neque nutriatis comam capitum vestrorum— — ne declinetis ad magos* (זְכוּרֵא). Ephraemus pro זְכוּרֵא ponit מְמַלְלֵי מֶן כַּרְסָא *ventriloquos*, atque his, quae sequuntur, interpretari pergit: Ventriloquos illud genus praestigiatricum daemoniacarum (קְצוּמוּתָא דְשֵׁאדָא) dicit, quod a Syris appellatur זְכוּרֵא. Invadunt daemones (שֵׁאדֵא) ventres feminarum miserabilium, et tamquam puerorum (בְּבוּסֵא) parvulorum instar edunt voces acutas, vel ex *stomacho* [282]), vel ex latere (costa), vel ex inferioribus membris suis, atque illudunt inducuntque eos, qui aurem praebeant, atque hi sibi ita persuadunt, quasi ea quae futura sunt et abdita, revelare et manifestare pos-

---

282) בְּנְוֹשְׁרָא Petrus Ben. vertit *stomachus* I. 246. A. ea vox desideratur apud Castellum.

sint [283]); id quod Saulem fecisse, prodit scriptura sacerdotalis [284]). —

Num. 11, 25. Quemadmodum enim arborum fructus succum irrigantem (pr. succum potationis רְדיָא דשַׁקיָא) ex arborum ramis hauriunt, ita septuaginta illi seniores spiritum a Mose in ipsos diffusum, sensere per intima permeare viscera.

Deut. 14, 1. Praemissis verbis textuariis לא תִתְגֹּדְדוּ (interponuntur autem verba ex Levit. 19, 28 huc translata: neque facietis calvitiem inter oculos vestros ob mortuum) interpretatur hanc in sententiam: *Interdixit iis (sic refert lex) notas inscriptas* (כתִיבְתָא) *facere in cute* [285]), cujusmodi

---

283) זכוּרָא igitur (sic etiam pronuntiatur II. 452. D. aliisque in locis, nec vero זַכוּרָא, ut in Polyglottis, apud Syros est *praestigiatrix*, fem. form. זכוּרְתָא I. 390. A. Cum illa autem, quam supra dedimus, interpretatione, convenit ea, quam Ephraemus adscripsit loco 1 Sam. XVIII. 3. II. p. 387: זכוּרָא appellat auctor vel quorum ventres insidens daemon ipsorum ore loquitur ipsorumque halitu voces edit; vel qui a daemone, per assumtum ab illo corpus, responsa petunt, quod hic fecisse feminam scripturas prodit.

284) כתָבָא לכָהנָיָא *scriptura sacerdotalis* singularis est L. L. Samuelis nuncupatio. Syri enim primum et alterum Samuelis librum unico libro comprehendunt. Ceterum nota formam לכָהנָיָא, quae deest Lexicis.

285) Verba לָא תתעַרדוּן sic convertit Gabriel Sion: *ne sitis effraeni*, quapropter jam vituperatur a Michaele

succorum medicatorum ope corporibus inscribuntur nec deleri possunt; sicuti fecerunt Aegyptii et deorum suorum imaginibus *puncta* [286]) in cute appinxerunt. 26, 14. *Neque apposui ex eis quidquam mortuo*, h. e. mensas, quae mortuis instruebantur, secundum morem, quem tenebant gentiles.

Jud. 5, 1. Quid? num ambo (Debora et Barachus) hymnum cecinerunt (שַׁבַּחוּ)? Immo ipsa Debora, quum prophetissa esset, hymnum cecinit simulque vaticinata est. Cecinit Barachus una cum ea initio laudationis, quam populus prolocutus est, eo die, quo Siseram occiderat; sicuti (Hebraei) hymno celebrarunt deum gloriosum, quem cecinit Mirjam cum feminis die immersionis Aegyptiorum (Ex. 15. Ephr. p. 216 B). Nec vero (Barachus) una cum illa (Debora) hymnum cecinit, quoniam ipsius Deborae canticum est laudationis

---

ad *Cast.* p. 674., quum ea significatio, quam verbo tribuit interpres ille, nullis testimoniis sit probata. Itaque Michaelis scripturam Versionis simplicis suspectam habuit omnino ac lectam voluit לא תתגרדון, secundum hebr. lectionem: לא התגרדו h. e. *ne scabatis vos* s. *ne incidetis*. En vero confirmatur Michaelis conjectura iis, quae in Ephraemi Scholio leguntur.

286) קְדָתָא נ h. l. *puncta*. Adscribas, sis, hanc significationem Lexico Cast. ed. Mich. p. 566. Hebraeis et Chaldaeis verbum נקד, et quae inde descendunt nomina derivata, satis sunt trita.

nec Barachi. Nimirum initium hymni ambo cecinerunt, sed exinde quaeque relicua sunt ipsa Debora cecinit.

1 Sam. 1, 9. Surrexit (Hanna), postquam comedit et bibit, ut marito suo obsequeretur, suumque dolorem suppressit, quem ante dominum manifestaret. 2, 35. *Et suscitabo mihi sacerdotem* (כֹּהֲנָא) *fidelem.* Fortasse Samuelem significat, sive vox כֹּהֲנָא de ministro (שַׁמָּשָׁא) sacrorum intelligis, sive de viro praepotente et divite [287]). 3, 9. Samuel ter vocatur a deo. Noctu autem vocavit eum, quia enuntiatum horrendum fuit. Deligitur tempus horrendum et tenebrosum *propter similitudinem* [288]). v. 15. *Et Samuel timebat indicare visionem Eli;* etsi non jussus fuerat, sive audita referre Eli, sive mysterium reticere. Ratio autem, cur praeferret silentium, exstitit ex verecundia (כִּיחֹדָא) et timore dei. Puduit puerum et simpli-

---

287) Hanc alteram vocis כהנא significationem repetiit e lingua sua. Forma Ethpa. אתכהן vere etiam significat quod *Castellus*, verbo כהן subscripsit: *magnarum divitiarum.* (opum) *possessor factus est.* Exempla considera haec, II. 24. A. 89. E.

288) דִּמְיָאִית *propter similitudinem*, alias etiam *verisimiliter* I. 62. B. 340. A. Hanc Adv. formam non exhibet Castellus.

cem (שְׁחִימָא [289]) levitam, arguere senem et summum sacerdotem, eumque nuntio tristitiae pleno terrere. Porro vero veritus est, ne deum forte offenderet, si divulgaret mysterium, quod ab eo *abscondita ratione* [290]) sub noctis caligine perceperat. 8, 9 sqq. Intelligitur, non propter *avaritiam* [291]), quam filii Samuelis prae se ferrent, (Hebraeos) regem postulasse et desiderasse, sed idcirco, quod sibi ipsis (h. e. unaquaeque tribus sibi ipsi) regiam dignitatem poposcerunt; sperarunt etiam, fore sibi per regem, quem elegissent, caussam, omnia idola, quae desiderassent, colere, vel dies festos iis celebrare obscoenos et indecoros, vel iis frui intemperanter *in ebrietate* [292]), vel cum iis *insanire* [293]) in *voluptatibus* [294]) indecoris,

---

289) שְׁחִימָה hic I. 341. A. vere est *simplex*, ut I. 201. D 1 Regg. 6, 33; *levis* etiam II. 69. B. alias *purus*, *sincerus*, sic I. 397. A. e adolescentibus; imprimis autem, recte jam monente Michaele ad Cast. p. 409. *sancto* opponitur et denotat: *vulgare*, *commune*. Praeter exempla a Michaele allata adde hujusmodi: II. 273, D. Oberleitneri Chrest p. 76.

290) כַּסְיָאִית hanc formam omisit Castellus.

291) שְׁהִדָא, *avaritia*, omissum a Castello.

292) רַוְיָאִית deest ap. Castellum.

293) אֶתְפַּקַר *rabiosus factus est canis*; hanc primariam significationem notavit Castellus, nullo quidem exemplo addito. Dicitur etiam de Sodomitis I. 70. C. hic vero (I. 349. D.) de idolorum cultoribus.

294) plur. הִבְיָאוּתָא a forma sinn. הִבְיָאוּתָא 237. B. II. 237. F.

in *hortis* [295]) et prope fontes, ex more ethnicorum, lege domini, quae eos edoceret eosque inhiberet, abrogata. Illud quidem (fuisse Hebraeorum in petendo rege consilium) conjicimus. *Sententia* [296]) autem certa est et explorata; testantur prophetae, quorum diebus Judaei in omnia scelera, quae commemoravimus, prolapsi sint, inducti *blanditiis* [297]), vel instigatione, vel *persuasione* [298]) regum suorum. 10, 11. *Invasit* (אצלח) *Saulum spiritus dei.* Angelus (עירא) vero ad Mirjam loquebatur: *spiritus sanctus obumbrabit te* (נאגן עליכי), et ad Josephum: *quod in ea natum est, de spiritu sancto est.* (Luc. 1, 35). Spiritum sanctum dicit, quem hic spiritum dei scriptura appellat, ibi enim spiritus sanctitatem communicavit virgini, nec vero Saulo hic sanctitatem communicavit, sed prophetiam (spiritum prophetiae) in praesentiarum

---

295) Animadverte formam pl. גנא, alibi גניתא, quibus de hortis vel lucis idolatricis egit Ephr. I. 345., quem locum transcripsit Aemilius Roediger l. l. p. 82. ann. 90.

296) סברא, *opinio*, *sententia*; Castellus subjunxit hanc significationem formae סברא, quam reperiisse non memini.

297) חותחתא plur. *blandimenta, incitamenta*, semper malo sensu I. 349. E. 367. E. 373. B. 384. D.

298) מפלנותא adjungas formis a Castello (ed. Mich. p. 694) allatis.

(לשׂכְּחָה) communicavit. — Cum hac spiritus dei, qui Saulum supervenit, explicatione conveniunt ea, quae Ephraemus observat ad 11, 6 ubi sententiam distinctius etiam sic expressit: *Spiritus dei* spiritus is fuit, quem Jesaias propheta (11, 2) appellat *spiritum consilii et fortitudinis*, uterque enim Saulo, homini timido neque erudito necessarius fuit. Est autem in aprico, deum communicavisse ei utrumque, id quod ex facinoribus ejus facile colliges. Cf. ad cap. 16, 14. p. 366. — 10, 27. *Quomodo salvabit nos iste.* Saulum non proprio nomine appellant, more eorum, qui hominem quendam contemnant et despiciant: sic nimirum etiam Judaei, quum quaererent Christum capere, ut occiderent eum, dicebant: *ubi est ille?* (Joh. 7, 11). — *Nec attulerunt ei munera*, quia nec amabant eum, nec de ejus electione laetabantur, sed plerique ex populo eum aegre tulerunt. 16, 14. Invasit spiritus domini Davidem inde a die illo, spiritus nempe, qui recesserat a Saulo, h. e. *spiritus fortitudinis*, quod ostendunt magna ejus facinora, quae post suam unctionem perpetravit. Est etiam spiritus ille, quem filius ejus Salomon postulavit a domino, nimirum *spiritus sapientiae et consilii* (ערימותא i. q. תרעיתא Jes. 11, 2), quem mulier illa Thecuitis (2 Sam. 14, 17) laudabat (מַלְכּ). Item *spiritus prophetiae*, quem ipse Davides nobis probat et ejus psalmorum liber ab eo compositus,

testatur. — 18, 10. *Et evenit, post dies invasit spiritus dei malus Saulum et vaticinatus est in medio domus suae;* h. e. incidit in vesaniam [299]) et verba edidit in insania sua [300]), sed tamen vaticinatus est et futura praenuntiavit. Spiritus enim, qui eum teneret, eliciebat verba ejus. Quare igitur vaticinabatur non spiritu dei, sed agitatione daemonis, qui eum teneret, ductus. Quae autem hic vaticinabatur, ex signis sibi naturaliter (כִּינָאִית) notis, praesertim si (מְלַלוֹן אֶךְ), ut aliqui tradiderunt, Saulus in eo furore Davidis regnum praenunciabant. 18, 20. Idem scilicet spiritus, qui Jonathae cordi Davidis amorem infuderat, sororem ejus impulit, ut eundem in conjugium (זִוּוּגָא) optaret.

2 Sam. 1, 21. *Montes Gilboae, nec pluvia, nec ros veniant super vos.* Non pluvia, dicit, quia effusum est in vobis cruor Sauli, nec ros, quia super vos contabuerunt cadavera Jonathanis et fratrum ejus. Verba haec indicant maximam aegritudinem et moestitiam, quae sanari non potest. Verum Davides non optavit, montes fieri *steriles*

---

299) 179. שַׁנְיָא I. 372. C. adscribas formam Lex. Cast. p. 924.

300) שַׁנִּיוּתָא, I. 372. C. sic etiam II. 442. C. nec vero שַׁנְיוּתָא, quod legitur ap. *Cast.*

(בִּזְּרָא I. 393. F. 312 B) et *vastas* [301]), sed hominibus dolorem et moestitiam suam cognitam iri voluit, haec enim fuit finis (נִישָׁא) hujus naeniae. — Tum pergit interpres ad verba in eodem versu sequentia: לא חקלתא דמפרסין וגו' hoc modo: Conjunxit vero fortium casum cum sterilitate montium. Primum quidem, quia perinde ut montes, si plaga vastationis (צַדְיָא Jes. 37, 26) vexantur, nativo ornatu suo spoliantur nec arantur amplius, sic Saulus ejusque milites fortissimi, sui honoris insignibus a Philistaeis exuti, igniminiosam nuditatem subierant. Deinde vero, sicuti belli duces earum urbium, quas diruerint, solum et agros sale adspergere solent, ut vastitati et desolationi in perpetuum remaneant, sic Davides, conceptam ex Sauli et Jonathanis morte aegritudinem et magnam tristitiam significaturus, hanc ipsam poenam montibus Gilboae imprecatur. — סכרה דשאול וגו' h. e. occidit Saulus et clypeum ejus in terram abjecerunt, quoniam nec justitia dei, quae poenam exigit a peccatoribus, nec Philistaei, hostes nostri, sacrum oleum attenderunt, quo unctus fuerat, quamvis alias eo honoratus [302]) et reve-

301) Castellus annotavit (ed. Mich. p. 751) „צַדְיָא צַדְיָא *prospiciens.*" Occurrit nobis tantummodo significatio *vastus, inanis* I. 6. E 393. 6.

302) Nota formam Ethp. אִתְהַדַּר, quae deest apud Cast. ed. Mich. p. 219.

nendus factus esset. — v. 22. Gloriatur de Jonathane ob artem sagittariam et de Saule ob peritiam in tractandis gladiis, armis et instrumentis bellicis exhibitam et ob vim roburque; atque eo significat, quod nec Jonathan a scopo aberravit in telorum jactu, nec Saulus gladium in quemquam strinxerit, eoque vivo evaserit. — v. 23. Mores nunc utriusque laudat; nec dubium esse potest, quin de Jonathane ex sincero animi sensu vere locutus sit, quoniam Davides ipsemet expertus fuerat suavitatem et amorem Jonathanis erga eum; porroque cognoverat pietatem populi erga Jonathanem, inde natam, quod verbis et factis studuit, ut Davidem ex patris manibus eriperet. At neque est, cur dubitemus, num vera (sincera) sint ea, quae dicit de Saulo, si quis animadverterit tempus, quo Saulus unctus est a Samuele et coram populo laudabatur multaque pia facta in justitia et fortitudine perpetravit. — מן נשרא קלילין וגו׳, vel quum hostes invaderent, *vel quum adversarios suos fugarent* [303]). — v. 24. Loquitur de vestibus varii generis, de praeda populorum adductis, quos (Saulus) deleverat; de iis, quas inter Israëlitidas feminas diviserat et maxi-

303) כד רדפין לערוקא סאניהון. Notanda haec forma ערוקא h. e. *fuga*. In Lexicis alia affertur ערקא.

mam partem inter filias earum diebus nuptiarum — *Et picturas aureas inducebat vestimentis vestris*, h. e. his vestimentis; nam ille disponebat (מְצַבְּלָא הֲוָא) in iis figuras aureas et argenteas variaque symbola formavit (מְטַבֵּס הֲוָא [304]). — v. 26. Etsi hoc effatum (הָלֵין פִּתְגָּמָא [305]) extremum est, tamen summa pars est hujus naeniae. Nihil enim tantum pupugit Davidis animum, quantum mors Jonathanis, amici amicissimi; quapropter protendit naeniam suam et deplorat obitum ejus; diligebat e. ippe eum super amorem, quo matres filios suos amare solent; sic etiam dolebat mortem ejus atque eo dolore afficiebatur, qui genetricem (לְיָלְדְתָא) ob mortem unigeniti sui cruciare solet. — v. 27. *Quomodo ceciderunt robusti.* Iterat verba principii naeniae in extrema ejus parte, vel admirans rerum humanarum vicissitudinem et *permutationem* [306]), etenim

304) De verbo טַפֵּס v. pag. 170.

305) De pronominibus הָלֵין *ante* nomen, si rarissima exempl exceperis, semper positi, frequenti usu disserit Aemiliu Roediger l. l. p. 81. annot. Praeter exempla a viro doc allata vide mihi: I. 370. lin. 20: הָלֵין טַלְיָא, ubi Vers. simplex טַלְיָא הָנָא. pag. 370. extrema, 392. B. 396. D. 4(D. 410. C. 412. E. 414. F. 418. B. 421. F. 423. E. 435 464. B. 472. A. II. 237. E. 538. E. III. p. LXIII. Ass. Bi Or. II. 130.

306) שׁוּבְלָא *permutatio, vicissitudo* I. 395. E. II. 105.

cognoverat, regem magnum, post breve tempus, summo gloriae fastigio in humilitatem (שִׁפְלָא) ignominiosae contemtionis decidisse; vel *dolens* [307]) populi sui ruinam et multitudinis virorum fortissimorum necem; quasi dicat, qui factum, aut fore putare poterat aliquis, invictos viros fortes ac multorum gentium victores, puta Amalecitarum, Ammonitarum ac Philistaeorum, nunc superatos et in magnam humilitatem redactos iri, regem interfectum et castra perdita iri. — *Et perierunt vasa bellica;* armaturam significant, qua instructi ad bellum sunt parati vel ipsos milites, quibus velut instrumentis ad gerenda bella utuntur, vel Saulum et Jonathanem qui in bellis victores exstiterunt. — 2, 14. *Surgant pueri et ludant coram nobis.* Joabus quidem ei non refragatur et dixit etc. — Conjicio vero, duces belli eventum

Haec notio Lexicis quae adscribatur, digna videtur. Alibi est *mors* II. 116. E. Conf. *Castell.* Lex. ubi legitur *transmigratio*.

307) כַּרְיָא לֵהּ. Castellus (ed. Mich. p. 431) male sibi excogitavit Adjectivi formam כַּרְיָא, quum ubique scriptum sit כריא; quod tamquam substantivum fingit plur. כַּרְוֹן, I. 208. F. (*cumuli*) כַּרְוָתָא (sive *summitates*, sic Jud. I. 6, ubi hebraeus בְּהֹנוֹת *pollices*; Septuagintaviri autem τὰ ἄκρα et Vulg. *summitates*, sive spec. *frumenti cumuli* I. 599. A.) Speciatim tanquam adjectivum est *patiens* II. 458. F, *tristis, brevis.*

ea lusione [308]) explorare sibi voluisse. Lusio enim statim se convertit in bellum et Abneri turba devicta Joabi militibus terga vertit. — 3, 14. Jussit Davides Abnerum, reducere Micholem, quia illam non repudiaverat; quare nec legem praevaricabatur repudiatae uxoris nuptias maritis prohibentem. Sed nec Michol, alio viro, cujus nomen Phalthiel, nubens, offenderat Davidem, fecit enim invita, Davidem namque diligebat, quamvis ideo pater eam vituperaret, cujus etiam ab insidiis Davidem pluribus vicibus liberaverat, cum capitis sui periculo; declaravit etiam amorem suum erga eum plurimis testimoniis (בסהדותא סגיסתא). Quapropter Davides officii esse sui existimavit, revocare illam ad se, praesertim etiam eo tempore, quo gratia Micholis erga eum frui ei licuit, illiusque promeritis gratiam referre debuit. Existimavit praeterea, talem cum rege (Saulo) affinitatem ad negotium ab Abnero propositum non parum conferre. Abnero igitur curam illius [309]) commendavit. — 3, 33, 34. Dominus, opinor, Abneri mortem, hoc

308) Animadvertas notionem *lusio*, *ludus* I. 396. E. et *ludibrium* II. 40. D. voci שׂעתא in Lexicis subjungendam,

309) פררכא h. l. I. 399. A. *cura*, *studium*, sic etiam de *cura* s. *providentia dei* II. 275. A. alias פררכסא sunt *curae*, *res*, *negotia* (hominum) II. 99. E. 131. E. Haec significatio deest ap. *Cast.* ed. Mich. p. 730.

ipso tempore, antequam Abnerus populum, quemadmodum sibi proposuerat, reduceret, non prohibuit, ne quis putaret, Davidi regnum non providentia electioneque dei, sed hominum curis et calliditate collatum. 22, 1. Ex verbis his colliges, Davidem composuisse psalmum extrema vita sua, fortasse, ut domino gratias referret eumque celebraret pro omnibus beneficiis, quae per annorum suorum diuturnitatem acceperat. Praecepit igitur, *ut psalmus literis consignaretur* 310). Voluit enim, fore, ut posteri sui beneficientiam et amorem dei cognoscerent et discerent, quam bonus idem esset iis, qui recto essent corde, et profiterentur illum ob beneficientiam erga se ipsos declaratam, maximamque illius bonitatem cum admiratione celebrarent et justorum morum *beneficiis* illius 311)

310) פַקֵד דְנֶכַּרְטוּלִיהִי; verbo כרט, significatione *scribendi, literis consignandi*, apud *Castellum* nullum exemplum invenies adscriptum. Saepe tamen hac notione occurrit, et forma Pe. quidem II. 71. D. 125. F; Pal. I. 428. A.

311) לְשׁוּבְּכָנֵהּ; vox שׁוּבְּכָא apud *Castellum* omnibus testimoniis est nuda. Hoc tamen memorabile est, quod vox illa, significatione *doni* s. *beneficii*, nisi de rebus divinis, quod sciam, nunquam usurpatur. שׁוּבְּכָא igitur I. 128. E. est *donum* s. *beneficium dei*, 273. A. *spiritus sancti*, 305. B. *Christi* Alias autem scribitur שׁוּרְבָּא, *donum sacerdotii* Jac. Edess. ap. Ephr. II. 287. extr. *spiritus sancti*, Ephr. II. 306. A; plur. שׁוּרְבְּנָא *beneficia* (per Christum comparanda) I. 137. B.

pura mente [312]) adhaererent. v. 3. Rationes, quae ipsum ad amandum ex toto corde deum movebant, significat et dicit: vera loquor nec mendacia, tu fuisti vis et fortitudo mea et propter fiduciam in virtute tua providentiaque positam pericula [313]) contemsi ac multa bella inii, non meis viribus meave fretus prudentia. Neque enim victoriam ex iis (bellis) reportassem, nisi tua coelesta virtus mihi opitulatus esset, auxiliator nimirum tu exstitisti infirmitatis meae. Nihil enim potest creatura nisi virtute creatoris sui. Sin sibi ipsa sufficeret (אֵן סַפְקָא לְנַוֹה), creatori aequalis esset. Quodsi quid perfeci, id tua virtute feci et persolvi; si quid mali passus non sum, cohibuit malum tua providentia fortis, quoniam *cornu salutis meae tu fuisti*, perdidisti enim — (Relicua huic versui adnotata supra jam p. 208 transtulimus). v. 5. *Quia dolores mortis me circumdederunt.* Dolores mortis et inferni vel illa pericula (קִינְדוּנִיסָא) dicit, in quibus nulla expediendae salutis spes relicta est; cujusmodi Davidi accidit in de-

---

312) בְּהוֹנָא מְרִיקָא I. 369. A. 428. B. cf. Jac. Edess. ap. Ephr. I. 166. D. מִלְּתָא מְרִיקָא *sermo purus* s. verus. Hanc igitur translatam significationem adscribas Lexico *Cast.* p. 526.

313) Notanda (I. 428. D. F. 429. A. forma קִינְדוּנִיסָא κίνδυνοι, in Lex. omissa, ubi alteram hanc: קִינְדוּנוֹס invenies.

serto Maon eo die, quo Saulus cingeret eum (עֹטֵר) et circumundique[314]) ab omnibus partibus ambiret (סְבָבָה), nec ullum esset Davidi hominum auxilium nec spes effugiendi mortem vel mortis pericula bellorum manifestorum. Iis autem adjunxit impugnationes hostium occultorum, quas *laqueos mortis* appellat. Quare duo hostium genera distinguit, quorum alterum adversa fronte incedit, alterum vero a tergo dimicat; alterum visibile, alterum intelligibile (sensibus abstractum) et ab utroque se a deo protectum declarat. — *Et torrentes iniquitatis* etc. (Ea, quae sequuntur, videas sis p. 207 translata). — v. 9. *Ascendit fumus in ira ejus.* Non omnia quidem signa, quae hic commemorat propheta, sibi etiam ipsi accidisse significat, sed quid deus efficere poterat, indicat, aut potius quid aliquando factum fuerit auxilio justorum, nimirum Mosis, Josuae et Samuelis, is, qui omnia complectitur omnibusque imperat et invocantibus eum auxilio exsistit, vel succurrit, vel liberat eos; neque impediunt eum omnes res creatae neque aperiunt os ejus; ipsorum (justorum) adversarios dejicit et in terram deprimit ac prosternit. Quum ergo dicit: *Ascendit fumus in ira ejus et ignis a facie ejus exarsit*, plane id designat,

314) חוּדְרָנָאִית *in orbem, circumcirca.* I. 119. A. 150. E 29. A. II. 28. A. Lexico deest.

quod olim dominus in amore suo praestitit Mosi et populo suo in deserto, simulque praedicat, quid idem creator in ira sua agere valeat contra servorum suorum persecutores, is nimirum, cujus contactu [315]) montes fumigarunt et a facie ejus ignis exarsit; sive de Aegypto loquitur, sive de loco incensionis in solitudine. Item innuit, quemadmodum lignum aridum igne absumitur, ita ira dei adversarios suos sine negotio [316]) faciliterque (פשׁ קָאִית) absumit [317]) ac perdit. — *Carbones succensi sunt ab eo;* pergit declarare Dei potentiam et cujusmodi sit celeritas, facilitas et fortitudo operum ejus, persolvit. v. 10. *Inclinavit coelos et descendit.* Innuit illustrem illam manifestationem, qua descendit deus in montem Sinai simulque

---

315) pr. qui *attractavit* גָּשׁ *et montes fumigarunt.* Verbum גָּשׁ duplicem habet formam; nimirum aut ad ea verba pertinet quibus secunda et tertia litera eadem; atque hujus formae multa exempla exhibent Castellus et Schaafius; aut media radicale Waw utitur, quod, ut exemplis, in Lexico p. 144. desideratis, demonstretur, pauca tantum ex ingenti numero hic adscribere lubet. Jac. Edess. ap. Ephr. I. 183. B. נגוּשׁ I. 149. B.: גְּשִׁירךְ, Ephr. p. 503. F: מגוּשׁ. 429. E: גָּשׁ

316) Formam Adj. קְלִילָאִית omiserunt Lexicographi. Hoc loco (I. 419. F.) *facile, sine negotio;* alias (Jes. 5, 26) *velociter,* alias (I. 74. D. 79. D.) *subito, continuo.*

317) Fugit Lexicographos forma Aph. אַסֵּק, mod. 2. נָאסֵק, sed vide I. 429. F. 496. C. E. II. 37. E.

docet, dei nutu coelos moveri; porroque laudat benignitatem dei admirabilem, creaturas enim debiles ad communionem suam adscendere facit. — V. 11. *Adscendit super Cherubim* etc. Eodem argumento, quemadmodum supra, versatur, et desumit testimonia manifesta ab passionibus aëris et praedicat potentiam dei multis ejus operationibus in medio aëre. Simul autem docet, paratum illius auxilium omnibus hominibus, nec cunctari, si servorum afflictio deum quaesiverit. Ad extremum eo, quod Cherubim et venti obedientiam praedicat, ventos ad dei nutum spirare et secundum efficientiam ac consilium ejus aërem, vel mare terramve vexare significat; porroque praecipit, angelos coelorum circuitum et mutationes moderari secundum proprios eorum motus. — V. 13. *Fecit nubes suas in grandinem et carbones ignis.* Exponit relicuas dei in aëre operationes et aperte significat id, quod in hoc elemento perfecit contra Sodomitas, vel Aegyptios Cananaeosve, quum pluere faceret super eos de aëre grandinem et ignis ardentis flammas. Item vero ostendit singularem eam vim, quam creaturae quaelibet concipiunt, quum a deo evocentur ad inimicos perdendos vel ad vindicandos dilectos suos. — v. 16. *Revelata sunt fundamenta orbis terrarum* etc. Revelatum est fundamentum terrae, sic dicit, nimirum quando

revelavit dominus fundum maris rubri, et Jordanem retinuit a cursu ejus; mare fugit et Jordanis conversus est retrorsum. *Ab increpatione tua domine*, haec et quae sequuntur deprompsit Davides ex cantico Mosis. Maria nimirum et flumina coërcuit (שָׁרָה) tua, domine, virtus, sed sola oris tui increpatione et halitu spiritus oris tui *congregatae sunt aquae* etc. — v. 17. *Misit de summo* etc. A contemplatione operum domini convertit eo sermonem, ut enarret dei erga se beneficientiam. *Aquas multas* dicit, vel adversarios multos, vel angustiarum, quas tulit, multitudinem appellat. *Misit de summo et exstraxit me* (שלני) h. e. eripuit me (פצני), nec manu hominis, sed extra consuetudinem turbae hominum de Coelo dejecit auxilium meum et liberavit me. — v. 18. *Liberasti me a judicibus populi*; h. e. liberandum me curasti a populi principibus virisque potentioribus. v. 19. *Praevenerunt me die afflictionum mearum*. Haec respiciunt ea tempora, quum primum Saulus, deinde Absalonus adversus Davidem insurrexerunt, postea vero cum iis alii ex populo contra illum *conspirarunt*[318]), quos sibi adjutores putavit; pro benevolentia autem, quam eos sibi declaraturos esse existimavit, se congregaverunt

318) אתחכמו Notanda est singularis formae Ethp. significatio *conjurandi* s. *conspirandi*.

adversus eum, ut eum dolore afficerent. Sed in omnibus angustiis meis dixi: Dominus ipse solus auxiliatus est mihi et *salvum me fecit, quoniam me delectatus est.* v. 33. *Praecinxisti me virtute in bello.* Neque enim si tua me virtus destituisset et beneficientiam tuam a me retinuisses, adversarios equidem meos vicissem, vel quando Gigas (Goliathus) me invasit, vel quum Saulus et Abimelechus adversus me exstiterunt, vel quando contra externos populos prodii. —

I. Regg. 17, 1. *Per vitam domini si fuerit hisce annis ros aut pluvia, nisi quum dixero.* Nec vero dicam, dum vos in impietate perseverabitis. Ponderabit (h. e. accurate definibit) rationem [319]) plagarum ex poenitentia (vestra). Eliam vero ista locutum, puto, vere ineunte aut hieme, neque enim mirandum fuisset, si pluviam iis mensibus, quibus imbres descendere non solent, cohibuisset; cohibuit ergo pluviam, quum coelum nubibus obductum esset et detinuit coelum a pluvia tempore pluviae, quum omnes igitur pluviam exspectarent, nemo autem dubitaret, illam a deo esse venturam. At vero, ut dicebam (nimirum I. 487,

---

319) Vox תַּכְנִי apud Cast. ed. Mich. p. 966. exemplis non est instructa. Hic (I. 488. B.) nihil significat nisi *statum, rationem,* alias vere est *conditio,* ut in formula בְּתַכְנִי דְ *ea conditione, ut* I. 132. B. 292. F. 444. C. conf. II. 107. C; alias *casus, ratio* (Umstand.) I. 451. C.

C) Elias viam suam contra Jesabelem, reginam rebellem, direxit; atque hunc suum scopum plane ipse declarat dicto factove, eo scilicet, quod cum Baalis sacerdotibus certamen suscepit, eosque, postquam eos pudore affecit et humiliavit, morti eos tradidit. De Jesabele etiam horrendum illud verbum Achabo, marito ejus dixit: *Canes comedent Jesabelem in agro Israelis* (1 Regg. 21, 23), v. 2. *Recede hinc et delitesce in torrente Carith.* Quod ausus est Jerobeamus in Semeiam prophetam, qui cum libertate[320] eum reprehendisset, non ausus quidem est Achabus in Eliam; neque enim stabat ad dextram ejus Jesabel, quae eum concitaret, Achabus nimirum suopte ingenio minime iracundus (רגזנא) erat. Mulier ejus eum incitavit. Propheta autem fugit e conspectu regis. Fortasse fuit, ut dominus ejus mandaret ei, morari apud regem; nunc vero praecipit ei, ut in torrente Carith prope Jordanem se abscondat. Forte dices: Eliam etiam, domine, fugere jubes et speluncam quaerere et intra vallem, omnibus ignotam, se abdere? En vero, quando Jeremiam defendere voluisti ab adversariis suis, nemo eum laesit, Chaldaeis Hierosolyma circumcirca obsi-

---

320) בפרהסיא gr. παῤῥησίᾳ, *cum libertate, intrepide, fidenter.* I. 488. D. 491. C. II. 133. D. Jacob. Edess. ap. Ephr. I, 141. B. פארריסיא. Vox illa Lexicis deest.

dentibus et Zedekia rege intra urbem persequente prophetam. Cur igitur compellis eum [321]), ut bibat de aquis turbidis [322]) torrentis et prohibes eum a fontibus [323]) Jordanis; cur mandas ei, ut famis tempore, victum suum a corvis exspectet? Hoc autem evenit tres ob caussas. Primum quidem, ut ipse etiam de hoc poculo, quod miscuerat [324]), gustaret, et famem et sitim (צַהְוָא I. 489. A. 494.

321) עֲצַצְתִּיהּ I. 488. F. עֲצַצְתֵּהּ. p. 492. C. a verbo עצץ *compulit, coegit*, quod in Lexicis desideratur, quibus tantum nomina derivata exhibentur.

322) מַעֲלְהְזָא, de aquis: *turbidus*; adjungas hanc significationem Lex. Cast. ed. Mich. p. 257.

323) מִן שְׁפְעֵי יוּרְדְּנָן vertimus: *a fontibus Jordanis*, et recte quidem quoniam שְׁפְעָא non solum significat *copiam*; *abundantiam*, sed etiam *aquam, fontem*. Sic enim שְׁפְעִין I. 11. E. 488. F. sunt: *fontes, aquae*. Atque haec primaria videtur vocis significatio, deinde denotat *copiam*. Recte igitur fecit Castellus, ut verbo שְׁפַע primo loco adscriberet: *affluxit*.

324) Locutiones: *poculum miscere* h. e. sortem faustam infaustamve alicui parare, et *poculum gustare* h. e. sortem nancisci, Arabum ceterorumque aliorum Orientalium testimoniis viri docti satis jam probarunt; nuperrime Gesenius ad Jes. 51, 18. in ej. Comm. II. 150. Ewald Comm. in Apocalypsin. p. 244. Animi caussa ex Ephraemi scriptis, qui crebro hac dicendi formula usus est, haec adscribo exempla, quorum tamen numerus multis aliis augeri possit. Praeter exemplum in ipsis verbis textuariis (I. 489. A) lec-

B) sustineret ad dies, quibus populum ad annos vexari volebat, eaque ratione commiserationem disceret et misericordia hominum, fame et siti afflictorum afficeretur: hujusmodi quippe affectu praeparandus fuit Eliae animus ad laudandam (divinam) clementiam, miseris subvenire jam paratam, quae praeciperet Eliae, ostendere se Achabo, ut dare posset (ipse deus) pluviam super faciem terrae (c. 18, 1.), Deinde, ut ordinem vitae suae disceret, nimirum [325]), ut observaret et distinguenet tempora contemplationis et actionis, et post legationis (אִזְגדוּתָא) strepitum ei necessarium esse contemplationum silentium in eremo. Tertium erat, ut intelligeret, una cum operationis contentione (studio טִכְּנָא) etiam precationes ei esse offerendas; negotium enim, manu ejus perficiendum, non labore solum et contentione [326]) in hominum

---

tum, similia nota haec: I. 46. C. כָּסָא דְמוֹתָא דטְעָמִין חֲנַן *poculum mortis, quod gustamus*; II. 125. E. מִשְׁתָּא כָּסָּה דִדְחלת מרהון *bibere poculum timoris dominis su* (de Judaeis dicitur, h. e. timorem dei observare.) III. p. LVI. חַד עֲלַין מוֹתָא דְנֵטֵיַם *unus mors nobis destinatus est.*

325) כְּאמַת, contr. ex כְּאמַרַת h. e. *nimirum.*

326) עִסְקָא, עֲסַק secundum Castellum significat: *sollicitudinem in negotiis.* Sed accuratius sic de verbo est statuendum: עִסְקָא *sollicitudo*, *cura*, vel in negotiis, inde *cura*, *studium*, *contentio* I. 489. B. II. 470. B: עֲסַק סִפְרָא *studium*

commodum perficiebatur, sed potissime solvit gloriam Dei et (persolvit) hominum salutem precationibus et obsecrationibus coram illo robore forti, *qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum* (ps. 113, 8) atque orantibus promisit, se *daturum cor, ut cognoscant eum* (Jer. 24, 7.). — v. 4. *Corvis praecepi, ut pascerent te ibi.* Panes enim et carnes Eliae afferebant corvi; nec vero patet, an aliunde raperent, an crearentur (carnes) a creatore in ore eorum sub hora prandii et coenae [327]), in ore alterius panis, in alterius ore caro: haud enim homines corvis cibum parabant, quoniam non dicit: praecepi sacerdotibus aut aliis quibusvis hominibus, ut pascant te. Sed avis (עַיְקָא) perniciosa mutavit inclinationem naturae suae; portabat corvus alter carnem, neque admordebat eum, ferebat socius ejus (alter) panem [328]), nec corrumpebat de eo quidquam (וְלָא מְשַׁחֵט מִנֵּהּ). Corvi vero victum subministrabant prophetae et a propheta cibabantur ejusque jam consolatores erant. Namque erant ei consortio familiari (לְצַוְתָּא)

s. *perscrutatio scripturarum* vel *sollicitudo animi*, inde: *incommodum, malum*; sic II. 66. F. 150. D.

327) חַשְׁמִירְתָא 1. 489. D; statim, segm. E. sequitur forma אַחְשְׁמוּתָא, cum א prost.

328) Ed. Rom. dedit iterum בִּסְרָא *carnem*, sed scribendum esse לַחְמָא ex superioribus patet.

quum avolarent et redirent ad eum constanter, ac tempore prandii et coenae ad latus ejus mansuete garrirent (מְצַיְּרִין) et ad eum volarent, sicuti et nos, quo dilectati sumus, canes nonnullis vicibus vidimus herum accumbentes tempore prandii et assultibus vocibusque, ululatus similibus, panem, cujus indigerent, quaerentes. — v. 9. *Surge et vade in Sarephtham Sidoniorum.* Deus misit Eliam ad gentilium urbem, ut duritiem (animi suam) ad commiserationem flecteret. Qui enim pluviae et rori eum praefecerat, nolebat vi eum privare, quod ei concesserat, nec volebat mundo, siti adhuc cruciato, succurrere, nisi eo volente illud facere posset. Propterea eum, qui hucusque [329]) absconditus fuerat in valle Carith, misit (deus) ad urbem magnam Sarephtham, ubi suis subjectam oculis haberet hominum calamitatem; etsi illi tantae calamitatis nullam caussam dederant; quare nec cum Achabo Sarephtanis in supplicio fuit societas; quia, etsi legem Mosis non observabant, quod eam ignorarent, tamen non deridebant; sapientiores autem, qui inter eos vivebant, fortasse etiam illam reverebantur. Achabus vero ad ex-

---

329) עַדְמַשׁ *hucusque;* succincte scriptum mihi videtur pro עַדְמָא לְהָשָׁא pr. *ad horam usque.* Nulla exempla adscripsit *Castellus.* Vide modo I. 304. B. 490 E. II. 253. C.

tremam dementiam progressus fuerat, ut legem, quam a deo vivo institutam sciebat, ludibrio et derisioni haberet ejusque promulgatores, prophetas, persequeretur et occideret. Quum igitur Elias ad Sarephthae portam perveniret, offendit feminam, spirituque intellexit, hanc esse eam viduam, de qua (deus) ei dixerat (quam ei hospitem destinaverat); ibi enim sedebat et prophetam adspiciebat. Hoc enim ipsum, ut mihi videtur, Elias a domino suo postulaverat, ne laederetur gravitas sua (נִקִירוּתָה); si de viduis Sarephthanis quaeritare inciperet; atque ipsa simul femina vel revelatione vel somnio vel alia ratione prophetae victum subministrare jussa fuerat; id enim innuunt dei ad Eliam verba: *Praecepi viduae* etc. (v. 10). Quoniam vero eam, nudis pedibus et veste lacerata (פְּרְקָא) indutam (כְּבִירָא), et lignis gravatam[330]) incedentem inveniebat, eamque ipsam fame exardere et imbecillem factam esse cognoscebat: *adustum titionem videre sibi videbatur*[331]). Puduit se ipsum, panem petere, pe-

330) Hebraea 1 Reg. 17, 10. מְקֹשֶׁשֶׁת עֵצִים *diligenter colligens ligna* accurate expressit Syrus: קָשְׁא קִיסָא, nempe verbum קַשׁ Syris quoque est *collegit*, *conquisivit*. Cf. Exod. 5, 12. לְמִקַּשׁ קַשְׁתָא *ad colligendas paleas*. Ephraemus autem exhibet קַשְׁיָא קַיְסָא, quae converti non possunt nisi sic: *lignis gravata* a rad. קְשָׁא.

331) Proverbialis est locutio ex Jes 7, 4. (Zach. 3, 2.) desumta, ubi regem Samariae et Syriae duas caudas *titionum fuman-*

tiit aquam, quamquam postmodum panem quoque postulavit, quod sciret, ex promissione domini, vas [332]) farinae minime defecturum, atque in memoriam sibi revocavit, corvis nutritoribus suis creatorem in torrente victum suppeditasse, sibique promissum esse datum, neque in ea urbe sibi et viduae hospiti victum, cujus indigerent, in posterum defuturum. Quamobrem magna cum fiducia imperat, ut sibi primum, quasi sacerdoti, placentam parvam conficiat; sacerdotibus enim ciborum

---

tium, quorum flamma exstincta est, propheta appellat, quo virium defectus cum contemtione significatur. Ceterum Ephraemus frequens est proverbiis, quae saepe verbis sacris explicandi caussa confert. Sic ad 1 Sam. 2, 6: *Jehova pauperes facit et ditat*, leguntur haec: ממסכן אברי עתירא ומעתר כנפי מנזויתא i. e. *Opulentorum depauperat* (circumcidit) *pennas et tenuiorum alas divites* (aureas) *reddit*. Sic ad 1 Sam. 24, 14: *ab impiis egredietur impietas*, hoc eloquitur, nobis etiam valde tritum, proverbium: דחפר גומצא לחברה בנפשה ממלא לה *qui fossam fodit alteri, ipse implet eam.* *Nos* dicimus: qui fossam fodit, nt alios fallat, ipse in eam facile incidit. Sic ad Deut. 22, 6: *Memineris proverbii hujusce:* דהו דלא רחם על קטולא אתתבר הו פורקנא לגוא *qui non miseretur sicarii, communi saluti curat.* Aliud simile proverbii exemplum statim insequitur.

332) Vox קולתא plur. קולין, קולא, utique respondet hebraeo כד, vel ad aquam asservandam, ideoque *hydria*, Gen. 24, 14. 16. 43., vel ad *farinam*. 1 Reg. 17, 12. 14. 16 cf. Jud. 7, 16. 19. 20. 28. Reg. 18, 34. Si farinae asservandae inservit, omnino significat *vas*

etiam primitias lex addixerat. (Ez. 44, 30). — v. 15. *Abiit et fecit juxta verbum Eliae.* Animadverte mihi viduae fidem et obedientiam et caritatem. Deinde considera (אִתְחֲזָא) mercedis ei redditae magnitudinem, etenim scriptum est: Inde ab hoc die vas farinae non defecit nec cornu olei est imminutum (v. 16). Nec filiorum domus (familiae) numerus imminutus est. Mortuus enim postea illius filius pro benignitate, quae fuit penes prophetam; in vitam revocatus est. — v. 17. En iterum [333]) exagitatur Elias a domino suo ac pugnam, in torrente Carith cum propheta initam, hic denuo (deus) persequitur; ibi torserat fame et site, panis et aquae interceptione [334]), nunc vexat eum dominae ejulatu et lamentis; idem vero utrobique scopus, nimirum, ut ad commiserationem afflictorum afflictum convertat. Interim observa feminae hujus dolorem et considera modestiam ejus in tristitia sua; non enim de dei sententia queritur, aut prophetae succenset, sed in cogitationum modestia poenam propter peccata juste sibi redditam agnoscit et ait prophetae: *Ingressus es ad me, ut rememorentur peccata mea.* —

333) תְּנִיָּנוּת *iterum, denuo* I. 458. C. 462. A. 491. E.

334) Observa formam תְּכְבּוּתָא *prohibitio, interceptio,* in Lexicis omissam.

v. 19. Vide quomodo nec, occasione suscitationis filii, matri concessit, ut cubiculi (in quo ipse manebat), limen tereret; feminam enim, dum rei exitum praestolatur, in inferioribus cubiculis (בְּקִיטוֹנָא תַּחְתָּא Cf. pag. 225) substitisse, scriptura innuit, quum subdit: *Tulitque Elias puerum e cubiculo domus superiore et tradidit matri ejus* (v. 23). — v. 20. Haec dicit ea libertate, quam etiam Jeremias usurpavit apud dominum suum, ut cum Deo videatur judicio velle contendere. Dicit enim: Etiamne viduam, apud quam habito, afflixisti? Quasi dicat: Ecce summo equidem tuo nomini studio flagro ac vitam meam afflictioni et morti tradam; jam vero non sufficit tibi, quod ad torrentem Carith me relegasti, ut ibi delitescerem; quod me coegisti cibum accipere a corvis immundis lutulentamque de profluente (aqua) aquam bibere; quod et exstinxisti (istum) fontem potionis meae et victum mihi subministrare corvos prohibuisti? ecce, dum apud viduam istam moror, vitam etiam filii tollis acerbissimoque illam dolore afficis? en vero, nunc omnibus temporibus me torquet sermone oris sui et vocibus suis, ejusque cruciatum valde doleo. Haec sane mihi omnium praeteritarum aerumnarum gravissima accidit. Si ista fama [335]) effluat in vulgus, quanto furore tandem

335) אֲבָאָא, sic vox sonat ubicunque legitur; male Cas-

contra me congregabantur, acerbiore etiam odio me persequentes? Quamobrem revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus, quo consoletur luctuosa atque equidem evadam malo. — v. 23. *Et ait illi: En vivit filius tuus.* Ecce, inquit, mortuus revixit. Hoc enim dei viventis est facinus, quod nemo facere valet, nec illi, quos gentes sibi fecerunt deos in ignominiam suam. v. 24. Quod dixit (mulier), hujusmodi est: Quamquam jam vas et cornu, quod tu copiose implevisti, docuerunt me, te vincire posse coelum, neque id vincire quandam naturalem caussam, tamen ex mortuos resuscitandi facultate quae in te inventa est, intelligo, te in verbo domini posse efficere, quaecunque vis.

Dan. 2, 20 sqq. Laudationis argumentum ita recte explicat, ut ei certus ad somnium Nebucadnezaris respectus insit. v. 21. *Qui sapientiam dat sapientibus* h. e. qui somnium indicavit sapientibus, qui deum timent; et *intelligentibus intelligentiam* h. e. et somnii interpretationem docuit eos, quibus aperit secreta prophetarum. v. 22. *Is revelat profunda et occulta;* h. e. somnium ejusque interpretationem et cogitationes, quae regi sub vesperam fuerunt. v. 28. *Est Deus in coelo, qui*

---

tellus distinguit inter בָּאַבָּא et inter מֵאַבָּא p. 339. coll. p. 335. edit. Mich.

arcana revelat; h. e. cui in promtu est, non modo somnium ejusque interpretationem, quae tibi et sapientibus tuis et idolis tuis latet, patefacere, verum etiam et illas cogitationes, quae visionis tuae caussam obtulerunt, repraesentare. v. 31 sqq. *Magnum quoddam simulacrum*. v. 32. *Caput hujus simulacri erat ex auro probo*; hoc repraesentat regnum Babyloniorum; idem dicitur in his: *Babylonia est poculum aureum in manu domini* (Jer. 51, 7). *Pectus et brachia argentea* h. e. regnum Medorum [336]). *Venter et femora ejus ferrea* h. e.

336) Valde hic locus inter interpretes distrahitur. At vero secundi regni ab Ephraemo propositam explicationem unam veram esse, novissimo tempore Eichhornius, Dereser, de Wette, Gesenius et Bleekius, locis satis notis, omni jure censuerunt. Eandem sententiam tuetur Cosmas Indicopleustes, in Montefalc. Coll. II. p. 144; sic etiam judicarunt Judaei. Prae ceteris confer Eisenmengerum in Judaismo revelato. II. p. 767. Sed quoniam singularis ea interpretatio, multis quidem, ut modo vidimus, probata, nondum tamen argumentis satis est explicata, quae accuratius aliquanto exponatur et stabiliatur, haud indignum omnino neque a nostra disputatione absonum videtur. Hoc igitur in promtu est omnibus, jam ex ejus, qui librum Danielis composuerit, sententia, solum Medorum regnum, nec vero Medo - Persicum, quod dicitur, sub Cyro Persa, excepisse Babylonicum, quemadmodum Theodoreto, Hieronymo, Chrysostomo, Polychronio in Commentariis

regnum Alexandri. *Pedes ex parte ferrei, ex parte lutei,* sunt decem illi reges, qui post Alexandrum

---

ad istum, quem quaerimus, locum, interque novissimos Commentatores Bertholdto valde placuit. Atque illud, quod volumus, patet jam ex loco qui exstat c. 6, 29., ubi a Cyro Persa alium quendam regem, qui est Darius Medus (6, 1), nimirum Cyaxares alter, qui illum regno antevertisse et Belschazari, nimirum Labynedo (5, 30), successisse perhibetur, aperte distinctum videmus. Nempe vero hoc absurdum esset, cum Hieronymo, ad c. 5, 30, putare, quod vincente Cyro, rege Persarum, et Dario, rege Medorum, solus Darius successisse in regno scribatur, ordinem aetatis esse et propinquitatis et regni. Darium enim sexaginta duorum annorum fuisse et majus regnum Medorum quam Persarum: adeoque avunculum, qui prior esset jure naturae, successorem regni numerandum fuisse. — Tum loquatur locus c. 9, 1. ubi Darium, Ahasveri filium, nempe quod sciam, Darium Medum, regem factum esse super regnum Chaldaeorum legis; tum locus 11, 1. coll. 10, 20. 21. (v. 13) quo Medorum regnum a Medo - Persico sub Cyro manifesto distinguitur. Quamquam illum locum hic copiosius tractare, longum est. Hoc autem certum atque exploratum, libri Danielis auctorem secundum historiae veritatem sibi persuasisse, Medos, quum Babyloniam expugnarent, Persis, duce Cyro, nisi tamquam copiis auxiliaribus non usos esse; tum vero, Chaldaeorum regno a Medis per annum fere occupato, Cyrum utrumque populum, et Medorum et Persarum, in unum regnum congregasse. Praeclare igitur Ephraemus noster in Comm. ad. Jer. 51, 46. (II. 162. D.): *Veniet nuntium, Babyloniam cecidisse et Belschazarum mortuum esse ac*

(ad Antiochi Epiphanis tempora usque) exstiterunt. v. 37. *Tu es caput aureum.* Hic somnii

---

regnum ad Darium Medum translatum; post annum vero aliud nuntium (veniet), *regnare Cyrum.* Sic etiam auctor oraculorum XIII. et XIV. in Jesaiae libro, qui cum regni Babylonici casu eandem habuit aetatem et eventum illud celebravit, de solis Medis cecinit; sic in oraculo 51, v. 11. 28, quod Jeremiae falso adscribi solet, Medi Babyloniae eversores appellantur, Conf. c. 50, 3. 9, 41. Eandem igitur sententiam expressit etiam Megasthenes, aut, qui ex scripto ejus hauserat, Abydenus, apud Eusebium in Praep. ev. IV. 41, quum loquitur de Medo, qui cum Persa quodam (Πέρσης ἡμιονος) h. e. cum Cyro, Chaldaeorum regnum sit eversurus; hoc enim, utut de commenti auctore censes, omni jure inde colligi debet, Medos hic tamquam populum primarium significari. Ad extremum vero hoc monendum est, nihil efficere omnino, si diligentius animadverteris, eos S. S. locos, qui primo quidem obtutu nostrae, quam explicavimus, sententiae refragari videantur. Etenim in loco Danielis 8, 23, ubi aries, duobus instructus cornibus, ante prophetam versatur, quorum alterum, quod Persarum regnum repraesentat, altius quidem altero, nimirum Medorum regno, posterius tamen succrescit, prophetam ipso demum eo tempore, ubi duo illa regna, et Persarum et Medorum, jam conjuncta essent, illam revelationem se accepisse fingere sibi voluisse, cuique patet. Tum idem auctor c. 5, 28, quo Chaldaeorum regnum *Medis et Persis* traditum esse perhibetur, nisi tempora ex Anachronismo quodam male confuderit, at de Persis tamquam copiis auxiliaribus Medorum cogitavit; tum idem cadit in locos c. 6, vv. 9 et 16, in quibus de legibus

interpretationem orditur, quum dicit Babylonio: *Tu es caput aureum.* Quia autumavit, nunquam fore, ut regnum forte Babyloniae everteretur, subjicit (propheta): *regnum humile*, h. e. regnum Medorum *surget et subiget*, regnum Babyloniorum. *Et regnum tertium imperabit toti orbi* h. e. regnum Cyri, regis Persarum, imperabit toti orbi. *Et regnum quartum validum perinde ac ferrum, et sicuti ferrum franget et comminuet omnia;* is fuit Alexander ille, qui omnes populos subegit; comminuit enim et debilitavit omnes potestates, principes et reges, sicuti ferrum, quod omnia corpora domat. *Digiti pedum ex parte ferrei, ex parte lutei;* hi significant decem reges, qui ex Graecorum regno exstiterunt, quorum alii, perinde ac ferrum, fortes potentissimique fuere, alii humiles atque imbecilles. Jam vero, etsi connubiis sese invicem conjungerent, concordia tamen et caritas nunquam fuit; quapropter subdit de iis Propheta: *Commi-*

Medorum et Persarum sermo est; anachronismum enim hic latere, quis non videt? Denique vero loci, quales sunt 1 Macc. 1, 1 ubi Darius, vel Esth. 1, 3. ubi Xerxes Persarum et Medorum rex appellatur, nihil plane afferunt iis, qui cum Bertholdto fecerint, quum multo seriorum temporum respectus ibi habeatur. Ceterum accommodes tibi ea, quae de Medis monuit Gesenius in Comm. ad Jes. I. 2. p. 462. 654. — Recte etiam secundum illud animal, ursi simile (7, 4), de Medis apud Ephraemum explicatur.

scebuntur quidem humano semine, nec tamen cohaerebunt sibi, quemadmodum ferrum luto misceri non potest. — In quinti, sive Messiae regni, interpretatione, longissime quidem a vero aberrat, dum, sub lapide, (v. 34) a regno (v. 45) male sejuncto, Christi personam repraesentatam esse somniat et mysticis interpretationibus absurda ratione indulget. — c. 8, 14. *Ad dies bis mille trecentos*; his respondent *tempus, tempora et dimidium temporis* supra exposita. Quia vero *secundum supputationem lunarem* בְּדְסַהֲרָא, (plenius בּמְנִינָה דְסַהֲרָא I. 17. D.), superant dies mille centum quinquaginta (efficiunt nimirum 1239 dies), hic noctes diebus adjunxit et duplicavit numerum dierum quod in recensione annorum neglectum fuerat. Per hoc igitur dierum spatium potestatem in eos exercebit Antiochus [337]).

337) Hanc interpretationem, quod attinet ad dies duplicatos connumeratis noctibus, tuentur etiam Polychronius in Comm. ad 8, 14. ubi vid. Maji annot. et Bleekius in libro: Theologische Zeitschrift. ed. Schleiermacher, Lücke et de Wette, fasc. 2. p. 290.

Index Verborum.

Numeris indicantur paginae.

Pag. 123 versic.	2 sup.	pro	tempora	lege	tempore.
» 124 »	8 »	»	cumsisse	»	sumsisse.
» 124 »	4 inf.	»	involucra	»	involucro.
» 126 »	9 »	»	νοουμενον	»	νοούμενον.
» 132 »	1 sup.	»	auxie	»	anxie.
» 136 »	8 inf.	»	loeis	»	locis
» 143 »	6 »	»	Greaci	»	Graeci.
» 154 »	4 »	»	tertiam	»	quartam.
» »	1 »	»	argenteu	»	argentea
» 157 »	3 sup.	»	illa	»	illo.
» 158 »	5 sup.	»	audentium	»	audientium.
» 161 »	4 inf.	»	Pamphilii	»	Pamphili.
» 170 »	14 sup.	»	formaro	»	formare.
» »	10 inf.	»	coercervavit	»	coacervavit.

4003

Lengerke, Cæsar von
de Ephræmi Syri arte
hermeneutica

Bindery AUG 25 '38

MAR 10 '36 ... 1955
MAR 17 1955 ... E. [illegible]
MAR 30 1955 RENEWED APR 13 1955
APR 18 1955 RENEWED APR 18 1955
... 7-27-55
JUL 1 1955 ... E. [illegible] JUL ... 1955
JUL 14 1955 RENEWED JUL 28 1955
AUG 11 1955 ... E. [illegible] AUG 25 1955
AUG 25 1955 RENEWED SEP 7 1955

Lengerke, Caesar von.
De Ephraemi Syri arte hermeneutica.

4003

MAR 10 '36	Bindery
AUG 25	
MAR 17 1955	Rev. E. Siedlecki
MAR 30 1955	St. Mary's Sem. Mundelein
MAR 30 1955	RENEWED
APR 13 1955	
APR 13 1955	
APR 28 1955	RENEWED
JUL 1 1955	Rev. E. Siedlecki
JUL 14 1955	St. Mary's Sem. Mundelein
JUL 14 1955	RENEWED
	JUL 28 1955
AUG 11 1955	Rev. E. Siedlecki
AUG 25 1955	St. Mary's Sem. Mundelein
AUG 25 1955	RENEWED
SEP 7 1955	

